IV. — Ogni Vescovo infine ha sempre a propria disposizione una forza invincibile, il ricorso a Colui « qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate » (Philip. 2, 13). In ogni circostanza, per ogni necessità, preghi egli stesso fervorosamente e inviti a pregare i suoi figli, i sacerdoti, le vergini consacrate, i laici, fra i quali non mancano mai anime che vivono in intimità con Dio e possono diventare efficaci intercessori. Non è il Vescovo l'*homo Dei* per eccellenza? non è il « Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constitutus in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis »? (Hebr. 5, 1).

Come sulle sue labbra la parola di Dio è, l'arma della verità che trova infallibilmente la via dei cuori umani, così la sua preghiera pontificale è l'arma della grazia che penetra sicuramente il cuore di Dio.

Mi fu gradita sorpresa rinvenire nel libro degli Atti e Decreti del vostro Concilio Plenario una stupenda « Gratiarum actio et petitio pro fidelibus et populis Americae Latinae » (p. CXI), arricchita d'indulgenze con Breve di Leone XIII. Formulo il voto che essa diventi se già non lo fosse, la preghiera ufficiale da recitarsi, eventualmente tradotta in volgare, in tutte le chiese delle vostre diocesi, almeno una volta l'anno, in una giornata da dedicarsi alla preghiera per la conservazione e l'avvenire cristiano dell'America Latina.

Fra breve ci raccoglieremo a ringraziare Dio « Padre dei lumi » per le grazie elargiteci, la « Virgo pacis Genetrixque lucis » che ci ha prestato materna assistenza, gli Angeli Custodi e i Santi Patroni delle vostre Nazioni e delle vostre diocesi. Ora compio il dovere di esprimere il compiacimento mio e della Santa Sede a quanti siete intervenuti alla Conferenza, e in modo particolare a coloro che hanno

più direttamente contribuito all'esito confortante dei lavori e delle prese deliberazioni.

Quale atto conclusivo di omaggi o di devozione e di gratitudine al Santo Padre Pio XII, non sapremmo formularlo meglio che con le parole indirizzate dal Clero di Francia ad Alessandro VII nel 1661: « Tu es, beatissime Pater, in quo et per quem episcopatus unus est; qui merito inde diceris apex sacerdotii, fons ecclesiasticae unitatis, Ecclesiae vertex et princeps episcopalis coronae: Fiat ergo per te ut idem dicamus omnes, et non sint in nobis schismata. Fiat, inquam, pax in virtute tua ».

Al termine della seduta i partecipanti alla Conferenza si sono recati alla cappella del Collegio del Sacro Cuore ove, in ringraziamento per il successo della Conferenza stessa, è stato cantato un solenne « Te Deum ».

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

GALLIA

DECRETUM

ORDINARIATUS PRO OMNIBUS CHRISTIFIDELIBUS RITUS ORIENTALIS IN GALLIA DEGENTIBUS INSTITUITUR

(Cfr. *Monitor Ecclesiasticus*, 1955, fasc. IV, pag. 602-603).

ADNOTATIONES

I. In Ecclesia antiqua fideles subiacebant Episcopo loci in quo vivebant, licet sacra in ritu diverso et in lingua differenti ab eorum ritu vel lingua celebraret. Posterioribus vero temporibus interdum gravia dissidia orta sunt, cum quaestio ritus colligaretur quaestioni politicae. Saec. X et XI imperatores byzantini Graecos lingua et cultu in Italia meridionali augere et fortificare studuerunt, Normanni, e contrario, quamquam magni faciebant culturam graecam, numerum Episcoporum graecorum reducere et latinos pastores instituere satagerunt. (Cf. Jules Gay, L'Italie méridionale et l'Empire byzantin, Paris 1904, pp. 185-191, 350-365, 545-552). Quaestio de relationibus rituum in eodem territorio viventium acuta facta est cum anno 1204 urbs Constantinopolis, a cruciferis expugnaretur. Innocentius III quamquam violentiam et iniustitias Latinorum reprobravit, tamen primo tempore de imponendo ritu latino Graecis cogitasse videtur. Cum autem de gravi quaestione ageretur qua ratione in posterum Latini et Graeci adversus invicem sese haberent, in Concilio Lateranensi IV (1215) statutum est ut Episcopi in dioecesibus vel etiam in civitatibus ubi diversi populi varios tenerent ritus, instituerent secundum hanc diversitatem sacerdotes quoque idoneos. Urgente necessitate Episcopus loci pro alterius ritus natione vicarium sibi adjungeret qui ei per omnia oboediens et subiectus extaret (Cap. IX). E contrario omnino prohibebatur quominus una eademque civitas vel dioecesis diversos pontifices haberet, « tanquam unum corpus diversa capita, quasi monstrum ». Evidens est secundum mentem concilii plenam iurisdictionem Episcopo latino datam esse, Episcopo graeco locum vicarii.

Ceterum hoc Concilii decretum etsi posterioribus temporibus nonnunquam in controversiis inter Latinos et Graecos citaretur, potius raro applicatum est. Non solum Maronitae et Armeni sub propriis Episcopis nativum ritum exercebant, sed in concilio Florentino ne vestigium eius apparet et graecis (aliisque orientalium rituum Episcopis) plena iurisdictio agnoscitur.

A fine saec. XVI dein in variis partibus Orientis Episcopi et fideles ad Ecclesiam redierunt, ex Ruthenis, Rumaenis, Melchitis, Chaldaeis, Ruthenis Hungariae etc.; temporibus nobis magis propinquis ex Syris, Armenis, Coptis etc. In his casibus fideles orientales sub regimine propriae Hierarchiae vivebant, ita ut in uno eodemque territorio plures Hierarchiae constitutae essent. In quibusdam regionibus Hierarchia latina certa iura praevalentiae urgebat, ut in Polonia, Transylvania etc. Sed in genere Episcopi orientales in regimine suorum fidelium non sunt turbati.

Si autem in territoriis in quibus Orientales a multis temporibus vivebant, ex hac conviventia plurium rituum in eodem loco graves difficultates ortae non sunt, non idem affirmari potest de Orientalibus qui in regiones immigraverunt, quae Episcopis latinis subiectae erant. Huc referri possunt Albanenses, itemque Graeci qui fugentes iugum Turcorum, ad Italiam meridionalem naves appellerent. Apostolica Sedes hos Orientales Ordinariis latinis subiecit territorii in quo sedes fixerant ut unitas regiminis omnino servaretur. Disciplina ab his servanda clarissime exposita est a Benedicto XIV in celebri constitutione « Etsi pastoralis » (a. 1742).

Cum sub fine saeculi praeterlapsi et initio huius saeculi millia et millia Ruthenorum immigrarent in Status Foederatos Americae et in regionem Canadensem, S. Sedes his quoque ordinationes pro Italo-Albanensibus applicandas esse iudicavit, magna saltem ex parte. Sic anno 1907 Litt. Ap. « Ea semper » pro eis editae sunt. Sed multi ex fidelibus subici nolentes Episcopis latinis defecerunt et ad dissidentes transierunt. Idcirco S. Sedes eis proprios Ordinarios et Episcopos constituit: unum pro regionibus Canadensibus, alterum pro Statibus Foederatis, sed hic postea nova divisio facta est et Exarchatus pro Ruthenis ex Galicia provenientibus (Ukrainis) et Exarchatus pro Ruthenis ex Hungaria ortis creati sunt.

Haec Ruthenorum in America septentrionali ordinatio non applicata est ceteris Orientalibus catholicis. Adiuncta sunt diversa: generatim numerus Orientalium qui novum domicilium in Europa vel in America quaerunt, multum abest ut comparari possit Ruthenis. Insuper ab hominibus eiusdem nationis et ritus magis separati et inter varias regiones et civitates magis dispersi vivunt. Propterea quae pro Ruthenis statuta sunt, ceteris facile applicari ne-

queunt. Negari nequit ex hoc rerum statu non raro gravia damna oriri. Fideles orientales, parvo numero, in dioeceses latinas dispersi Episcopis latinis subiciuntur qui non obstante eorum zelo, hos fideles orientales lingua, cultu liturgico, usibus differentes non raro cum quadam suspicione intuentur. Accedit quod Orientales non ad unum ritum pertinent, sed ad plures. Ut talibus difficultatibus provideretur, iam varia remedia adhibita sunt. In magnis dioecesibus interdum ex Episcopis auxiliaribus unus ad curam specialem peregrinorum, inter quos censentur Orientales, deputatus est, v. g. Parisiis, Neo-Eboraci etc. Ante ultimum bellum fines paroeciae S. Barbarae Vindobonensis (ruthenae) eo extensi erant ut totum Statum austriacum comprehenderent. Sed cum praesertim post mutationes ultimo bello effectas, remedia hucusque adhibita non iam sufficere viderentur, S. Sedes novum constituit ordinem quo, ut sperare licet, efficacius necessitatibus spiritualibus Orientalium novas sedes in Europa, America, Africa, Australia quaerentium providebitur.

II. Nova haec regiminis forma eo habetur quod creatur unicus Ordinariatus pro Orientalibus catholicis, cuiusvis ritus sint, qui in determinata quadam natione eiusque territorio commorantur. Notandum est quod agitur de nova specie circumscriptionis ecclesiasticae — quae ignoratur a can. 198 § 1 C. I. C. — A ceteris circumscriptionibus differt eo quod istae respiciunt territorium, haec personas, praeprimis saltem. Ii tantum qui ad unum ex ritibus orientalibus catholicis pertinent, huic Ordinariatui adscribuntur. Certe hic quoque delimitatio territorialis habetur. Cum Ordinariatus pro certo territorio erigatur, ad illum pertinent qui vel domicilium vel quasi-domicilium in eo habent, vel actu saltem in eo commorantur. Territorium vero determinatur ipsis finibus Status.

Talis Ordinariatus primum erectus est a Summo Pontifice Pio XII pro Brasilia, cf. Decretum S. Congregationis pro Ecclesia Orientali, 14 Nov. 1951 (A.A.S., t. XXXXIV, 1952, p. 382). Ad munus Ordinarii deputatus est Em.mus Card. Jacobus de Barros Camara, Archiepiscopus S. Sebastiani Fluminis Ianuarii (Rio de Janeiro). Alterum Decretum quo idem pro Gallia constitutum est, editum est die 27 Iulii 1954 (A.A.S., t. XXXXVII, 1955, p. 612). Hic Ordinarius fidelium rituum orientalium nominatus est Em.mus Card. Mauritius Feltin, Archiepiscopus Parisien.

Nos ultimum Decretum breviter explicabimus, notantes quae in priore diverso modo tractantur.

Uterque E.mus Card. Ordinarius, ut ex ipso titulo apparet, iurisdictionem ordinariam habet in regendo Ordinariatu. Ipse nominare potest unum vel plures Vicarios Generales qui iidem quoque iurisdictione ordinaria fruuntur, cf. C. I. C. can. 366 § 1.

In Decreto nostro clare agnoscitur etiam Ordinariis locorum latinis potestas cumulativa providendi fidelibus rituum orientalium; sed Cardinalis - Ordinarius praefertur, alii Ordinarii tantum secundario, iure proprio, agunt et Ordinarium fidelium ritus orientalis de rebus maioris momenti, quae egerint, certiorem reddere debent.

Haec declaratio de potestate iuris cumulativi ceterorum Ordinariorum, deerat in priore Decreto et addita est in secundo. Videtur tamen non mutare ius constitutum, sed clarificare; nam restrictio odiosa videri poterat. Ita v. g. in casu necessitatis Ordinarius uti potest facultatibus quas habet dispensandi ab impedimentis matrimonialibus; licentiam dare poterit certos actus cultus peragendi; iurisdictionem delegare poterit ad confessiones audiendas etc.

Ordinarii fidelium ritus orientalis in Gallia erit, « audito Ordinario loci, paroecias constituere, ecclesias aedificare, iuvenes in sortem Domini vocatos in Seminariis colligere et educare, genuinos ritus ac disciplinam integre servare, sacerdotes fidelibus procurare, opera quaecumque ecclesiastica, socialia, scholastica fovere et cetera omnia quae agenda prudenter in Domino iudicaverit ». Aliis verbis ea facere debet in bonum orientalium quae ceteri Ordinarii facere debent in bonum suorum fidelium latinorum.

In Decreto vero etiam directe admonetur parochus loci latinus ut in locis ubi defuerit paroecia pro fidelibus alicuius ritus orientalis (in Decreto priore: Quodsi ...defuerit *sacerdos* pro fidelibus...) ipse, provideat, facultatibus ab Ordinario fidelium ritus orientalis obtentis. (Etiam hic additur in secundo Decreto: « aut ab Ordinario loci obtentis », id est mentio potestatis cumulativae).

Ultima differentia est quod in priore Decreto « quotannis », in altero « quinto quoque anno » relatio de statu Ordinariatus ad S. Congregationem pro Ecclesia Orientali mittenda praescribitur. Experientia duce haec sufficere visa est.

Aemilius Herman S. J.

JURISPRUDENTIA
SACRÆ ROMANÆ ROTÆ

SACRA ROMANA ROTA

I°

Coram R. P. D. Petro Mattioli, *Ponente*

SENTENTIA ROTALIS

diei 11 maji 1953

de metu et de condicione contra bonum prolis

1. - Facti species. - Silvanus, mense junio 1937, cum annum suae aetatis vicesimum vix superaverat, Agrigenti, in una ex aulis, in quibus saltationibus et choreis juvenes attendere solent, cognovit Ledam, puellam eiusdem civitatis, quae sex annis junior erat.

Amicali relatione instaurata, ad inhonestum commercium, inter duos adolescentes, absque rubore ac decore institutos, facile deventum est, et, anno circiter elapso, ad sponsalium celebrationem.

Deinde, cum puella gravida devenerit, de ineundis vel anticipandis nuptiis inter partes agi coepit, et, cum juvenis ad aliud tempus, post expleta militaria munera, rem remittere vellet, pressionibus tandem consanguineorum mulieris actus, hanc ad aras duxit in ecclesia paroeciali S. Ambrosii.

Vita communis per menses complures processit; sed, cum vir, ad arma propter bellum vocatus, ad loca pugnae missus fuit, captivus devenit.

Tunc, mulier, probabilius fidem coniugalem abiiciens, domum viri deseruit, neque amplius, post eius reditum, tectum commune restaurari potuit.

Quapropter, vir, mense aprili 1948, libello Curiae oblato, matrimonium nullitatis accusavit, sive ex metu, quem ipse passus esset, sive ex conditione contra bonum prolis, quam ipse posuisset, et mulieri acceptandam imposuisset.

Addebat, in libello eodem, interventum Promotoris Iustitiae, si et in quantum, se reclamare velle.

2. - Tribunal primae instantiae, dolum excludens, virum tamquam actorem simpliciter admisit, ac juxta eius vota, die 15 martii 1951, sententiavit.

Aliter, vero, causae Ponenti visum est,cum res ad S. Rotam pervenit ex appellatione Defensoris Vinculi. Unde, Promotore Iustitiae in causam vocato, citatis insuper D. V. et coniugibus, dubium, idem Ponens concordari mandavit sub formula: « An constet de matrimonii nullitate, in casu ».

3. - In jure: A. - *De vi ac de metu* - Vix adnotare necesse est characteres de metu illo, per quem tantum lex consensum matrimonialem irritum fieri agnoscit, in can. 1087 contineri. Ex quo patet, prae primis, metum, ut consensum vulneret, ita in ipsum influere debere, sicuti causa in effectum. Legitur, enim, in cit. can. 1087, § 1: « Invalidum ... est matrimonium initum *ob vim vel metum etc.* », et non « *cum metu* ».

Videlicet, ut praeclare expositum fuit in una coram Mannucci, diei 11 maii 1926: « ... metum *causam* esse debere matrimonii, non eiusdem meram *occasionem*. Causa, nempe, dicitur id quod natura sua effectum producit, seu quam natura sua sequitur effcetus; dum occasio, licet aliquid conferat, ut effectus sequatur, tamen non natura sua in eum tendit, quia illum non continet totum virtute sua » (vol. XVIII, dec. XXII, p. 175).

4. - Nec per se sufficit, ad probandum consensum metu extortum fuisse, ut ostendatur matrimonii celebrationem aegre, ab alterutro ex contrahentibus, vel ab utroque, acceptatam fuisse: vinculum, enim, quod aliter nollet, potest quis acceptare non ex timore mali, quod forte alius prospexit, sed ad certum facinus reparandum: ideo, non metus gravis, sed justitiae compulsione actus, sua reddens aliena argumenta, ac proprio marte, quamvis non libenter, se determinans ad actum, quem secus, nemine impellente, numquam posuisset.

5. - Difficilius admittitur metus gravis in viro, uti per se patet, quam in muliere; nec difficultas eliditur, si vir ingenio appareat tantum mutabilis, ut diversis, imo contrariis sui animi sensibus, ita alternis vicibus cedat, ut modo velit modo nolit, et a quonam movetur clare non dignoscatur (cfr. coram Staffa, 28 jan. 1949).

6. - Considerandum etiam venit quod, ubi aversio probetur absens, facile voluntas praesumitur libera, quia externa coactio superflua devenit, cum nullam difficultatem superare debeat, nullamque oppositionem, quae vera ac gravis sit, evertere. Unde, in huiusmodi, praestatio consensus haberi non potest tamquam effectus externae coactionis (si quae forte verificetur), sed liberae determinationis agentis.

7. - B. - *De conditione contra bonum prolis*: Ad normam can. 1086, § 2, invalide contrahit qui positive excludit omne jus ad coniugalem actum, i. e. ad actum ita ponendum, ut per se aptus dici possit ad prolis generationem.

Attento peculiari favore, quo ius matrimonium sustinet, in causis de excluso bono prolis, semper praesumendum est actum fuisse de simplici voluntate matrimonialibus bonis abutendi, in-

tegra manente substantia consensus, et hoc praesertim ubi partes invicte probare non valeant veram condicionem, explicite vel implicite adpositam fuisse.

Quod per depositiones testium, undequaque fide dignorum, ac per circumstantiarum et adiunctorum attentum examen, constabiliendum erit.

8. - In facto: Quamvis uterque coniux satagat eamdem defendere thesim, ac vehementer declarationi nullitatis vinculi inhiet, plura inveniuntur, in eorum assertis, quae cribrum Judicis sustinere non valent, atque collusionis et subornationis suspectum ingerunt.

Et in primis non bene intelligitur utrum sustineri velit metus in utroque contrahente, an in uno tantum.

Vir in libello denunciat metum, quem ipse tantum passus esset. Postea, in judiciali confessione, et metum mulieri incussum commemorat:

« Per me — ait — il matrimonio non fu libero, perchè vi fui costretto principalmente dal fratello della fidanzata, e quindi non fu nemmeno d'amore. *Neppure fu libero da parte della fidanzata, perchè essa vi fu costretta dai suoi con minacce* ».

Non refert, in concreto, quaenam istae minae fuerint, neque indicat fontem scientiae suae. Tandem, non explicat cur in libello de his tacuerit.

9. - Ne dicas, ad justificandum virum, ipsum de mulieris coactione notitiam probabiliter habuisse tantummodo post exhibitum causae libellum, nam idem vir, loco citato, pergit: « Ciò possono attestare le persone, da me indicate come testimoni. Esse ciò seppero, *da me* e da altri, *prima del matrimonio* ».

Et de facto mater viri, eiusque consobrina Vanda, ab ipso Silvano — ut facile praesumitur — subornatae, de metu, quem Leda, in ordine ad contrahendum, passa esset, ex professo loquuntur; sed prima fontem scientiae nullimode indicat; altera asserit se notitiam de re habuisse sive a Silvano, sibe ab ipsa Leda, ante nuptias. Quaenam fides tali asserto competit?

10. - Leda, ut patet ex sua depositione, metum a se passum non solum ignorat, sed aequivalenter excludit. Dicens enim de condicione contra bonum prolis, quem vir imposuisset (de qua fusius infra), addit: « Io, trovandomi in quello stato (erat enim gravida) *accettai*, con la speranza che egli cambiasse proposito ».

Et adhuc: « Io accettai la condizione, perchè, diversamente, non mi sposava ». Nunc — uti per se patet — relata verba et quamcumque aversionem seu repugnantiam puellae erga virum

amandandam exigunt, et desiderium eiusdem puellae produnt de nuptiis utcumque contrahendis, esto ob suam abnormem condicionem. Rem, profecto, magis ac magis confirmat Leda, de conviventia coniugali haec referens: « Io, durante la convivenza coniugale, non ero felice, perchè mi mancava l'affetto di Silvano... Io piangevo, perchè non ero contenta, e la ragione è quella che ho detto sopra ».

Idem Silvanus affirmat. Sed mulier, quae maritum non amat, quaeque coacta ad nuptias accessit, difficile conqueritur propter defectum dilectionis viri sui. Nec, de propria infelicitate rationem reddens, viri defectum accusat, de proprio absolute tacens.

Et tamen, Valdemarus, frater Ledae, dicit et in sororem suam se vim adhibere debuisse: et similia affirmat testis Amneris, Ledae amica, quae, tempore celebrationis controversi matrimonii, nondum decimum quintum annum attigerat, dum Ledae mater ne verbum quidem habet de coactione, quam filia passa esset.

11. - Silvanus, in libello, etiam exponit: « In tali locali (i. e. in aulis pro choreis agendis), come suole avvenire, si cerca l'avventura galante, e quindi si cerca sempre il soggetto adatto. Io ed un mio amico, certo Angelo, adocchiammo la Leda, e facemmo allora una scommessa, la cui posta era un pacchetto di sigarette, che io avrei conquistato quella ragazza.

Per scommessa, quindi, cominciai a farle la rorte. Era ben lungi da me ogni intenzione seria. Col proseguir del tempo, per le pressioni della Leda, alle quali non mi potei sottrarre, data la corte, che le andavo facendo, *fui costretto* anche a frequentare la casa dei parenti, ma, come ho già detto, il mio scopo era solo quello di conquistarla, e non di sposarla ».

Brevi, si hunc Silvani sermonem sequamur, ipse, tantum ad ostendandam coram amico suam capiendi mulieres artem, Ledam adivisset, ac postea, tantum ob pressiones, ab ea adhibitas, domum parentum frequentare coepisset.

12. - Sed aliud prorsus Leda refert: « Io simpatizzai, e m'innamorai di lui, e mi sembrò allora d'essere corrisposta. Il fidanzamento avvenne dopo cinque o sei mesi, in casa mia. Esso fu libero e di amore da ambo le parti. Contente ambedue le famiglie. Il fidanzamento durò circa un anno e mezzo ecc. ». Quantum haec distent a contentis in libello viri, per se patet.

13. - Ipse Silvanus, coram Judice loquens, asserta libelli retractat, et ad thesim mulieris accedit, quamvis summe incongrua adhuc pronunciet: « Io non me ne innamorai, giacchè fu per una scommessa di conquistarla ... non per sposarla, che io mi misi

appresso a lei ... Il fidanzamento ufficiale credo che avvenisse circa un anno dopo la conoscenza. Esso avvenne in casa della Leda. Il fidanzamento fu libero da ambo le parti ».

Transeat, igitur, suod ipse, propter vanam gloriam, ad puellam accesserit: sed, mensibus pluribus transactis, cur ad sponsalia celebranda *libere* devenit? Et, si libere, cur de pressionibus, a puella adhibitis, in libello scripsit?

Pignore amici Angeli, pro quo contenderat, devicto, ipse debuisset mulierem relinquere; e contra, sponsalia, non coactus, inivit, et fornicarium commercium instituit, per quod mulier gravida facta est.

14. - Quid mirum, talibus in adiunctis, quod mater puellae instare coeperit ad matrimonium urgendum? Quid mirum si frater Valdemarus, ex Albania, ubi stipendia merebatur, sollicite remeans, vehementer in Silvanum pressit, ut sororem duceret?

Asserit Silvanus se puellam, quam defloratam in primo concubitu invenisset, solum libidinis explendae causa adhuc tractasse, et non matrimonii intuitu, nam neque fiducia neque amore eam, quam inhonestam resciebat, colere poterat. Asserit, sed non probat. Facta et adiuncta, per se gravissima, contra eum testantur: de quibus satis dictum est.

Per talia facta aversionem quamcumque illius, erga puellam, excludi, dubium non videtur; imo satis exprimitur desiderium ac propositum eius sibi mulierem per nuptias copulandi.

15. - Dicitur Silvanus celebrationem comperendinare voluisse ad tempus post militiam, et per hoc effugium nuptias evitare intendisse.

Sed et hoc asseritur gratis. Quidquid sit, etiamsi concedi debeat aliquis conflictus inter ipsum et Valdemarum, pro metu gravi et injusto concludi ex hoc non potest. Agebatur enim de viro contra virum: qui *verbis* praesertim luctabantur, potius ex irae impetibus subitaneis ac fluxis, quam ex insanabili oppositarum voluntarum certamine.

Quod plenissime firmatur er eo, quod ad matrimonii celebrationem deventum est, quando Valdemarus, qui ponitur praecipuus metus auctor, jam in Albaniam rediverat: ex quo legitime infertur nec voluntatem eius, de nuptiis imponendis, tam firmam ac pervicacem fuisse; nec rem tantum, quantum hodie praetenditur, ipsi cordi fuisse; nec, tandem, metum in patiente exortum vere gravem aestimari posse. Ubi enim trepidatio (si quae, tamen, in praesens admittenda est!) non ex periculo imminenti, aut proximo, exurgat, gravis teneri non potest: unde, consensus, hisce in adiunctis positus, nullus non est.

16. - De ceteris, quae a matre puellae ponuntur gesta, vel, ut accuratius loquamur, simpliciter dicta, sermo ne institui quidem potest: agebatur, enim, de misera muliercula, quacumque vi, praeterquam linguae, destituta; et, ceterum, inter personas tenuioris status, verba aspera, sordida, et vel minas exprimentia, tam crebro mutuo donantur, ut propter illa nemo sit, qui de trepidando cogitet, vel ad aliquid invite ponendum se determinet.

17. - Adiuncta post-nuptialia thesim de coactione viri (in illa mulieris non est cur amplius immoremur) adhuc magis evertunt.

Asserit ipse, non eximius veritatis cultor, *per trimestre tantummodo* uxorem tractasse, dein, ob militaria officia, domum atque urbem natalem deseruisse, nec, e captivitate redeundo, tectum maritale restaurare potuisse.

Sed mulier verius: « Egli *un anno* fece il servizio militare a Firenze, ed in quel tempo veniva a trovarmi nella libera uscita, poi andò al fronte, e non venne più a casa, se non quando tornò dalla prigionia ».

Nunc, autem, vir qui, perdurante servitio militari, domum coniugalem habitualiter petit, ad uxorem invisendam, et ad iure coniugali utendum (ut praesumi debet), thesim de aversione et coactione, suo modo agendi, evidenter non juvat.

18. - Ad alterum, denique, ex denunciatis nullitatis capitibus, mentem vertentes, maxime in evidentiam posita Patres voluerunt verba illa actoris: « Io, sposando, intesi di escludere la prole, non perchè io fossi contrario alla prole, ma perchè sapevo già quali erano le mie intenzioni, cioè che non volevo convivere con la Leda (nempe, quia aversus et coactus - ut nunc praetendit - eam ducturus erat), e quindi i figli sarebbero rimasti o senza madre o senza padre. E per questo, feci un preciso patto con essa, dicendole che io la sposavo con la condizione di non procreare figli. Essa acconsentì ».

Convenit mulier, quoad substantiam: « Io, trovandomi in quello stato, accettai... Io accettai la condizione, perchè, diversamente, non mi sposava » (p. 8, nn. 9-11).

19. - Sed, incauti juvenes, de condicto defendentes matrimonium fuisse sub illa condicione, *sine qua non*, contractum, non advertunt quomodo, per huiusmodi assertum, funditus evertatur thesis de metu viri, quam ambo susceperant agitandam. Etenim vir, uti patet, non obstantibus praetensis minis, nullo modo puellam duxisset, nisi haec condicionem, ab eo impositam, acceptasset. Ergo, non *ob metum* duxit. Ad summum, concedi potest contraxisse *cum metu*.

Quod, si taliter res contigerunt, i. e. si metus, nunc allatus, prorsus inefficax ex actis probatur, ad quid illa condicio? Sive a viro, enim, ut audivimus, sive a pluribus testibus apposita dicitur, quia matrimonium sub gravi metu contrahebatur. Quod falsum est: nam per relata verba ostenditur consensum viri nullo modo a vi et metu, tamquam effectus a sua causa, pependisse.

Ea propter, facile de falso arguuntur coniuges, in asserendo ac sustinendo in judicio (utique permutatis consiliis) theses, quae ab invicem eliduntur.

19. - Si tales sunt coniuges, quid dicendum de testibus, qui ab eis pendent?

Vere mirum est quod de condicione adversus bonum prolis omnia sciant frater Silvani, nomine Saurus qui, tempore matrimonii, vix decimum sextum annum attigerat, et Anneris, de qua supra dictum est; dum mater Ledae, circa pacta ac statuta, ante matrimonium, de prole non habenda, nihil apprehendit, itemque Valdemarus frater. Per testimonium matris, statuta de prole non habenda *post matrimonium* tantummodo intervenisse, probabilissimum est.

Ceterum testes fere omnes de religione et honestate utriusque coniugis, amplis datis verbis, testificari audent: quod per se probat, vel confirmat, ipsos de morum sanctitate, ac vitae decore, nec vagam ideam possidere: unde, eorum depositio, sive quoad primum, sive quoad alterum caput, qualibet probandi vi destituitur. Inter hos, eminet Ledae mater, peccata filiae suae, adhuc teneram aetatem agentis, ita tegens, ac practice fovens, ut eadem in domo propria, se praesente, tolerare non erubescat.

20. - Quibus omnibus in jure et in facto perpensis, Nos infrascriptei Auditeores definitive sententiamus, dubio proposito respondentes:

« Negative, seu non constare de matrimonii nullitate, in casu ».

Guillelmus Doheny
Petrus Mattioli, *ponens*
Emmanuel Bonet

II°

Coram R. P. D. Petro Mattioli, Ponente

Sententia definitiva, diei 8 julii 1953

ex capite metus ac simulationis consensus.

Josephus, cum, adhuc adolescens, est enim natus anno 1913, artem vestifici in domo paterna, Hostuni, exerceret, per fenestras domus suae, vertente anno 1931, respexit puellam Angelam, duobus fere annis minorem, quae famulabatur in domo propinqua.

Ita, cum passio quaedam amborum animos incendisset, frequenter, una simul, solus cum sola, per loca non habitata deambulare coeperunt, et, hic in adiunctis, ut accidere solet, ad commercium fornicarium brevi devenerunt. Ex quo, certo die, puella praegnans facta est. Tunc dominus, apud quem, ratione famulatus, degebat, eam, utpote adhuc in minore aetate constitutam, ad parentes restituit, qui in oppido « Cisternino », apud Hostunum, domicilium habebant.

Instantiae, quidem, apud juvenem, statim factae sunt, ut, per matrimonii celebrationem, et puellae honori consuleret, et nascituri legitimitati provideret. Sed incassum: exinde, discidia ac lites violentae inter ipsum et mulierem, consanguineorum consiliis et adiumentis corroboratam.

Tandem, cum haec nihil prorsus proficerent, Angela, sub die 6 iunii 1932, Josephum coram Praetore hostunensi denunciavit, eum arguens *de crimine stupri* (legitur enim in documento denunciationis: « ... mi abbracciò forte, mi buttò per terra, e, costringendomi a cadere con una forza indicibile, *mi defiorò* »), et insuper de quadam pecuniae summa, per fraudem extorta.

Josephus, die 13 sept. 1932, in vincula coniectus fuit, ac processus adversus eum instauratus esset, nisi ipse idem, per matrimonii celebrationem, cuicumque judiciali procedurae finem imposuisset, iuxta vigentem legem. Cum, enim, quodvis aliud effugium fallere vidisset, caeremoniae nuptiali se submisit, in ipsis carceris hostunensis aedibus,die 15 octobris 1932.

Sed, a vinculis liberatus per sententiam Tribunalis poenalis Brundusini, diei 18 oct. 1932, conviventiam coniugalem instaurare renuit, secundum statuta — ut perhibet — ante celebrationem proposita; quin imo, mulierem e domo eiecit, quodvis nedum benevolentiae, sed et pietatis signum eidem denegans. Unde, filiola ante matrimonium concepta apud parentes mulieris lucem vidit die 2 dec. 1932, quae, tamen, paucis post mensibus, vita functa est.

Josephus, erroribus prioribus novissimos addens, alteri mulieri

adhaesit, quacum more uxorio vivens, binam suscepit prolem. Tandem, rectis ductus consiliis, apud Tribunal Vicariatus Urbis, ratione domicilii competens, causam proposuit nullitatis matrimonii, sive ex capite metus, quem consanguinei mulieris, et ipsa lex, illi imposuissent, sive ex capite simulationis consensus.

Sententiam favorabilem obtinuit ex altero tantum capite, die 14 iunii 1948.

Appellante de more Defensore vinculi, res ad N. S. A. delata est; sed heic, die 2 apr. 1950, praefata sententia reformata est.

Ad Turnum sequentem cum actor legitime provocasset, peculiari facultate implorata atque obtenta per rescriptum ex audientia Sanctissimi, diei 9 nov. 1951, bina dubia in praesenti instantia concordata sunt, videlicet:

I. - An sententia Rotalis diei 2 aprilis 1950 confirmanda vel infirmanda sit, et, quatenus confirmanda;

II. - An consilium praestandum sit Sanctissimo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato.

In Iure. - Ante omnia adnotandum est quod quaestio de metu irritante, in casu, ex professo agitari non potest: non modo quia duplex decisio conformis — ut bene notat D. V. — hac de re iam prodivit, sed et quia contra sententiam primi gradus, quae metum irritantem exclusit, nemo legitime appellavit (cfr. can. 1887, § 3, ac decisio in una *Vasten*, diei 2 iul. 1953).

Utcumque, quia metus, etiamsi ut impedimentum per se stans non consideretur, potest aliquando (ut in praesens) adduci velut simulationi consensus dans causam, instandum esse Patres censuerunt in determinanda natura et gravitate metus illius, qui a poenali lege procedit, quo compulsus actor Noster matrimonium sibi invisum acceptavisset.

Omnino, cum sententia Rotali appellata, quae textum E.mi Gasparri (De Matrimonio, n. 853, ed. 1932) interpretatur atque amplectatur, sentiendum est metum, qui a lege poenali procedit, esse ab homine, et iniustum aliquando fieri: non modo cum, exempli gr., lex in falsa facti praesumptione fundatur (cf. quod ex S. Alfonso refertur in una *Andrien.*, coram Mattioli, diei 30 iul. 1952), sed et cum quis lege utitur, vel, rectius, abutitur, ad terrendum eum, qui certum delictum, puta staprum, nullimode patravit, vel ad aggravandam condicionem eius, ut eum cogat ad matrimonium amplectandum. Quid mirum, si, hisce in adiunctis constitutus, ille, qui falso de aliquo crimine arguitur, vel de longe graviore, quam quo se maculavit, consensum matrimonialem ficte emittere statuat; ad se purgandum a delicto, vel, utcumque, ad poenam tuto vitandam?

Quocirca, ne facile dicatur talem accusatum, eo quod scit per matrimonium se liberare posse, ideo *verum* matrimonium, et non simulatum, intendere.

Hoc, utique, contingere posset, si liberatio intenderetur velut *praecipuus* ineundi vinculi finis, nam praecipuus ceteros positive non excludit; cum, autem, quis *unice* liberationem consequi, per nuptias, sibi proponat, eo ipso alios matrimonii fines, inter quos primarium, positive excludit, ceteraque iura coniugii essentialia: quia finis unicus, praecise quia talis, est etiam quorumcumque aliorum exclusivus; et, aliunde, consensus matrimonialis, absque traditione-acceptatione juris in corpus, in ordine ad actus per se aptos ad generationem prolis (cfr. can. 1081), ne intelligi quidem potest.

Pariter, ne instetur opponendo homines rudes consensui simulando impares esse, ac matrimonium, generatim, maxime in nationibus catholicis, intendere tamquam onus insolubile, in mala et in aequa sorte perpetuo ferendum.

Hoc semper verificari, saltem dubitandum est.

Sed, nihil interest in medium adducere opinionem simulantis: opinio, enim, campum intellectus nequaquam egreditur, ac notum est scientiam et conscientiam simulationis haud requiri, ad simulationem constituendam. Etenim, falsa nostra existimatio rei veritatem non mutat, et quemadmodum « scientia aut opinio nullitatis matrimonii consensum matrimonialem necessario non excludit » (cfr. can. 1085), ita scientia aut opinio validitatis consensum firmum et integrum necessario non reddit.

Ceterum, nemo ignorat, in casibus plerisque, eos, qui consensum simulasse ponuntur, quique matrimonium ob simulationem in iudicio accusant, ne a longe quidem de matrimonii nullitate, seu de consensus deficientia totali, suspectum umquam concepisse, usque dum jureperitus, relationem factorum et circumstantiarum attente audiens, omniaque rite ac recte perpendens, eos convenienter instruxerit de accusandis et agendis.

Tandem, omnino sentiendum est, cum sent. Rot. appellata, « capita metus et simulati consensus in se coniungi non posse ».

Attamen, cum metus, ut ex probata jurisprudentia, duplici modo, positis quidem ponendis, matrimonii nullitatem provocare possit, nempe:

1°) ex defectu debitae libertatis in consensu, si ponatur certis notis vestitus;

2°) ex totali consensus deficientia, quoties, illis notis vestitus vel non, ad simulandum induxerit; cumque, ex relatis a patiente ante judicium (modo summario et confuso) saepe exigi non possit utrum de simulatione, seu de totali consensus deficientia, an de

metu, idest de laesione existentis consensus, quaestio agitari debeat: recte instructioni judiciali relinquitur onus probationes specificas ac perspicuas colligendi, et interim, peropportune accusatio instituitur (utique subordinate) et simulationis et metus, ut, ubi una cadat ex debilitate argumentorum, altera sustineri possit, sicque oeconomiae judiciorum provideatur.

In Facto. - Ad normam praedictorum in iure, nullo modo de falso, in iudicio assumpto, actor, in casu, argui potest, sicut egr. D. V. sustinere tentat, scribens: « ... actor, qui nullitatis accusat matrimonium tum ex metu, tum ex simulatione sibi contradicit, et *certissime* falsum profert. Quapropter, qui in apertam contradictionem delapsus invenitur, nullam meretur fidem ».

E contra, quidquid de actoris gestis extra iudicium sentiendum sit, restat ipsum in iudicio recte et honeste egisse, facta simpliciter exponendo, a fucatis et ampliatis abstinendo. Nec ipsi, scientiae iuris prorsus experti, imputari potest quod capita sibi contradicentia aeque proposuerit, subordinationem unius ad aliud expresse non commemorans.

De metu, quem ipse passus est (de quo, in praesens, ut diximus, tantummodo qua simulationis causa agendum erit), simpliciter ac sincere affirmat: « Mi minacciarono (nempe consanguinei conventae) col coltello e col bastone alla mano, per obbligarmi a sposare la ragazza... fui sollecitata da Angelina, dal cognato, ed anche dalla mia famiglia, a sposare, ma mi opposi... Angelina venne un'altra volta a fare scenate presso la mia casa...

Non mi determinai al matrimonio per le minacce di terzi, ma perchè temevo dover fare diversi anni di carcere. Le minacce altrui non mi impressionavano affatto. Invece, il dover rimanere in carcere, con il conseguente disonore mio e della famiglia, fu per me *l'unico movente*, che m'indusse ad accettare le nozze ».

Metum huiusmodi fuisse extrinsecum, gravem, et iniustum, et ideo gravissimam, in aestimatione contrahentis, simulationis causam constituisse, non dubium videtur.

Extrinsecus fuit metus iste, non modo quia provenit a lege, cuius auctor est homo; sed etiam quia lege illa poenali (in se iusta) conventa iniuria, in casu, usa est, ad matrimonium nempe actori imponendum, contra huius voluntatem.

Nec audiendus est Defensor Vinculi, qui, zelo muneris actus, scripsit: « Angela autem querelam interposuerat non ut Josephum cogeret ad matrimonium, sed ut ulcisceretur stupri, quod passa erat ».

Contrarium verum est: nam acta concorditer docent virum tale

matrimonium, quod mulier et huius parentes, vel minis adhibitis, imponebant, prorsus abhorruisse; ob id, puellam virum denunciasse, idest postquam in incassum cesserant pressiones ac minae ad juvenem cogendum; tandem, bene constat mulierem statim acceptasse matrimonium a viro, dum in carcere erat, propositum. Haec finem a puella intentum plenissime illustrant.

Gravis, praeterea, imo gravissimus fuit metus in casu. Nam carcer est aliquid valde durum, praesertim pro adolescente decem et novem annorum, qui in vitae fere primordiis constituitur: physice durum, ob privationem libertatis, et ob cetera sustinenda; moraliter durum, ob dedecus summum, sibi ac familiae a patiente procuratum, et ob lacrimas carissimorum suorum. (Cfr. depositio fratris actoris).

Iniustus, tandem: nam juvenis delictum ipsi attributum nequaquam patraverat, sed aliud longe minus. Quocirca, legitur in sent. Rot. appellata: « Quidquid sit, cum ipse periculum iudicii subire renuerit, fundata suspicio habetur de violentia carnali, ab actore patrata ».

At, praeter quam quod suspicio non aequivalet strictae probationi, remanet quod vir tractationem processus, quae per annos generatim protrahitur, eiusque exitum, qui per se incertus semper est, in carcere reclusus exspectare debuisset, i. e. in pessima condicione, a qua cito ac tuto — ut rationale est — liberari exoptabat.

Ceterum, actorem fuisse iniuste a conventa accusatum de crimine *stupri* (ob quam accusationem, carcer praeventivus et immediatus a lege infligitur), facillime patet non tam ex actoris, quam conventae ipsius iudicialibus depositis, maxime vero si attenta comparatio instituatur inter ea, et alia illa, quae ipsa eadem mulier coram judice laico denunciavit. Unde absolute tenendum est quod mulier vi legis (ab astutis consiliariis acta) abusa est. Verba mulieris, crimen Praetori denuncianti, iam supra, facti speciem reddentes, retulimus; audiamus, nunc, eam in foro ecclesiastico confitentem: « Ogni domenica, quando io ero lasciata libera (nempe, a famulatu), facevo sempre qualche passeggiata, in compagnia di lui. Dietro richiesta di lui, ci furono delle intimità, le quali assunsero un carattere di gravità, quando egli mi dichiarò che era sua intenzione unirsi in matrimonio con me. A seguito di queste intimità, io rimasi incinta... Io lo denunziai subito al Tribunale di Ostuni, *perchè egli non voleva più sposarmi* ». Ubi, in hisce, violentia? Ubi stuprum? Haec noscens legitime dubitari posset an mulier, quae sic coram tribunali ecclesiastico loquitur, umquam legerit ea, quae in actu denunciationis continentur, cui, evidenter, ipsa, inspirante leguleio, simpliciter subscriptionem apposuit. Etenim,

quae mox ab ore eius accepimus evidentissime probant virum turpiter in eam egisse, ea ipsa actibus illis, in dies gravioribus, omnino consentiente, et ad perfectam copulam, gradatim, absque lucta, pervenisse, post matrimonii promissionem: quam copulam mulier, ut ea ipsa in iudicio refert, admisisset intuitu promissi a viro matrimonii. Sed falsum est id quod conventa in Nostro foro deponit, nempe denunciationem contra virum iudici laico exhibuisse, *ob non adimpletam ab eo promissionem* (v. supra): quod aliud prorsus crimen constituisset, et immediatam viri reclusionem *non* provocasset.

E contra, vi consiliorum receptorum (ut patet ex ipso textu denunciationis, qui mentem diu magis excultam supponit), Josephum de crimine stupri accusare maluit, sive ad aggravandam condicionem eius, sive ad animum eius frangendum, per carceris incommodum ac dedecus, *subito* procuratum.

Tantum malum, non ut proximum seu imminens praevisum, sed iam, per duritiem reclusionis consecutum, potuisse virum inducere ad simulandum, et ideo aptam simulandi causam constituisse, nemo est qui non videat.

Verumtamen, non sufficiet simulationis causam illustrare, nisi ex actis pateat expressa simulantis confessio.

Ex viri depositis, confessionem eiusmodi lucidissime erui, Patribus visum est.

Jam mirum est quomodo viri et mulieris declarationes plene conveniant (etsi ab annis unus ab alia prorsus separatus sit) circa frequentes ac solitarias deambulationes: « Incontravo volentieri Angelina — vir deponit — perchè speravo, un giorno o l'altro, di giungere ad atti intimi con lei. Angelina veniva volentieri con me ». Nec finis a viro intentus, in his deambulationibus proponendis, puellam latere poterat, nam, ut ipsa expresse admittit, experiebatur viri propositum, in dies audacius. Quod, dein, se concesserit intuitu promissi matrimonii (ut praetendit), vel secus, Nostra in praesens non interest. Stat quod se concessit suasionibus ac promissionibus cedens, non autem brutali vi, quam coram iudice laico denunciavit.

Vir suam confessionem pergit aiendo copulam pluries positam fuisse, *utroque adnuente*, in hoc concordans *cum depositione mulieris*, sed violenter contradicens documento denunciationis, ubi *de unico amplexu* sermo est, et quidem per vim a viro extorto, et ubi *promissio matrimonii ineundi* non ante copulam ponitur, et eidem copulae dans causam, sed *post copulam expletam.*

Simulandi propositum a viro in iudicio his verbis aperitur: « Mi fu detto che ero stato arrestato... per violenza carnale... In

cella, vi erano altri detenuti, ben più esperti di me, allora diciannovenne. Questi mi dissero che per il mio reato avrei dovuto scontare circa dieci anni di pena; mi parlavano col codice alla mano. Fui davvero sgominato, tanto più che *stimavo di trovarmi in carcere innocentemente.*

La mia famiglia e gli amici vennero a trovarmi, consigliandomi il matrimonio, in tal modo avrei potuto ottenere la libertà ... Mandai a dire ad Angelina che ritirasse la querela, promettendole che l'avrei sposata appena uscito dal carcere. In realtà, *non intendevo affatto sposarla, ma volevo servirmi di quel mezzo per uscire libero.* Una volta fuori, mi sarei regolato diversamente da come avevo promesso. I genitori, però, della giovane mi fecero sapere che non si era dello stesso parere, e che assolutamente esigevano che io sposassi in carcere. Ho già detto le ragioni, per cui non intendevo assolutamente sposare Angelina... il dover rimanere in carcere, col conseguente disonore mio e della famiglia, fu per me *l'unico movente*, che m'indusse ad accettare le nozze...

Sposai, non perchè costretto dagli uomini, ma perchè mi trovavo in carcere, e con lo scopo di liberarmi da esso. *Non intendevo affatto sposare*, per unirmi e poi coabitare con Angelina, anzi ero deciso ad abbandonarla subito, tanto più che non l'avrei mai considerata come moglie ».

Defensor Vinculi, singula relati loci verba aggrediens, eorumque pro suo munere, speciosam exhibens exegesim, ostendere nititur per ipsa consensus simulationem non manifestari. At quaelibet funes, si unumquodque ex filis, quibus constat, quis aggrediatur, facile rumpitur.

Verba actoris, ut plene intellegantur, una simul sumenda sunt. Tunc facile apparebit:

a) quod actor iniuste in carcerem fuisse detrusum aestimabat;

b) quod maxime perterritus fuit, ob poenam diuturnam, quae ei, jure vel iniuria, ab aliis prospiciebatur;

c) quod pressiones maximae in eum, ab ipsis carissimis suis, dolore fractis, adhibitae fuerunt, sed frustra;

d) quod ille, fraudolentum effugium requirens, promisit se, obtenta liberatione, puellam ducturum;

e) denique, quod ille, obtorto collo, caeremoniae nuptiali se submisit, non ad se uniendum mulieri, et ad cohabitandum cum ea, sed ad poenam vitandam, et ad mulierem eiiciendam ac repudiandam.

Nihil aliud, nihil diversum e verbis actoris profluit.

Age nunc: abs dubio, cum Rotali Jurisprudentia, et cum sententia appellata tenendum est quod « intentio cohabitandi non per-

tinet ad essentiam matrimonii, sed solum ad integritatem »; attamen, heic omnia casus adiuncta perpendenda sunt: ex quibus patebit non modo defecisse, in viro, intentionem cohabitandi, sed ab eodem praeconstitutum fuisse, iam ante nuptias, pervicax propositum mulierem abiiciendi, nec commercium quodcumque cum ea instaurandi: quomodo, autem, iurium coniugalium traditio acceptatio cum tam firma ac perversa voluntate consistere potest?

Dicitur etiam, ad normam jurisprudentiae, non amorem, sed consensum matrimonio locum dare, et ideo probationi optatae directe non favere amoris defectum, quem vir ostendisse perhibetur.

Sed, aliud est defectus amoris, qui, per se, consensum necessario non excludit, aliud est *summum et implacabile odium*, quo vir flagrasse certo certius constat: quocum verum matrimonialem consensum componere, impossibile est.

Legitur in sententia appellata: « Ex eo quod quis acceptat matrimonium, ut medium ad finem... ordinarie non ponit medium invalidum per simulationem ». Optime quidem! Aliud autem dicendum est, si matrimonium acceptatur tamquam medium ad *unicum* illum finem assequendum, esto non intrinsece malum, sed a fine essentiali matrimonii prorsus extraneum.

Legitur etiam: « ... actor dicit: *sposai*, non: *finxi seu simulavi consensum* ».

At, ubinam gentium requiritur, ad simulationem constituendam, quod quis verbis propriis, simulationem exprimentibus, ad unguem utatur, vel quod scientiam et conscientiam simulationis habeat? Homines rudes et verbum « simulatio » aliquando ignorant, sed optime loqui et agere tali modo sciunt, ut intelligere sinant ab ipsis simulationem et fictionem perpetratam fuisse. Nihil prorsus interest quod actor, nec in momento emissionis consensus, nec dum coram Judice loquitur, plene advertat naturam impedimenti, per quod eius consensus irritus, vel prorsus inexistens haberi debet, ideoque verbis non aptis se exprimat; sufficit ut acta fideliter referat, per quae mens et intentio eius, in contrahendo, non ambigue deduci possit ac debeat.

Inter testes, qui omnes sat simplices se ostendunt, non exculto nec perspicuo sermone loquentes, ideo fide digniores, eminet Thomas Coni, per litteras, tempore evidenter non suspecto, ab actore de simulatione informatus: « Da quanto mi è stato scritto da parte dello sposo, non vi è stata mai alcuna intenzione di sposarsi con Angelina. Fu celebrato il matrimonio per denunzia esposta dalla fidanzata, in seguito alla quale venne emesso contro lo sposo il mandato di cattura...

Lo sposo celebrò il matrimonio, costretto dalla speranza di li-

berarsi dalle carceri, per cui, come il cognato (i. e. actor) mi ha riferito, lo sposo *non mise mai nessuna intenzione di sposare* ».

Utique, si litteras, ad quas provocat, testis producere valuisset, testimonium validius fuisset. Sed, ex eo tantum quod recepta scripta producere nequit, eius dicta infringere non licet: eo vel magis quod mulier eius Josepha, quae est actoris soror, rem plene confirmat.

Idem mater actoris testatur. Quae, postquam dixit filium puellam non intuitu matrimonii, sed turpis recreationis causa, reprobante matre, frequentasse, addit: « Mio figlio *non ha voluto mai sposare* Angela, tanto è vero che, anche dopo il matrimonio, avvenuto in carcere, volendo essa parlargli, la scacciò sdegnosamente ».

Quam gravis sit haec matris revelatio, patet. Nam propria persuasio, quam testis coram Judice reddit, fundatur super modo agendi actoris, rite ab eadem teste comparato cum intentionibus ante nuptias ab eodem manifestatis. Insuper, quid sentiendum de consensu matrimoniali viri istius, qui nedum proprium corpus — inito coniugio — mulieri tradere recusat, sed et quodcumque verbum ipsi dare, ab eaque auscultare?

Tandem, de Francisco, teste sacramentali, legitur in relatione verbali depositionis, ab eo redditae: « Egli era presente (alla celebrazione) come testimone, e sentì Giuseppe, come sentirono i presenti, compreso il parroco, quando disse che sposava *unicamente* per uscire dal carcere, e che, appena uscito, avrebbe lasciato la sposa ».

Ceteri testes rem plus minus confirmant, nec opinio, quam aliquando in iudicio produnt, facile sperni potest, utpote quae in factis evidentibus fundatur, quae idem testes viderunt ac recogitarunt.

Facta, enim, quae non ambigua sint, multo magis quam dicta in iure valent ac probant. Et in praesens facta plura, eaque clara et gravia, processuales tabulae praebent. Quae sunt:

1°) Defectus relationis sponsaliciae ac promissionis matrimonii. Vir, enim, nequaquam morigeratus, tantum ad satisfaciendum libidini (ut mater eius confirmat) mulierem frequentabat. Nec audienda est mulier, quae de promisso a viro matrimonio non cohaerenter loquitur, ut iam ostensum est.

2°) Defectus violentiae in turpibus actibus ab utroque positis. Ex quo profluit penitus ,falsam fuisse mulieris denunciationem atque iniustam viri reclusionem.

3°) Odium inextinguibile a viro erga mulierem conceptum.

4°) Propositum deveniendi ad celebrationem, ex parte viri, unico

intuitu se ab iniusta detentione immediate liberandi, postquam cetera effugia, ab eo temptata, in vanum cesserant. ,

5°) Propositum repudiandi mulierem, quam non propriam uxorem habebat, statim post liberationem a carcere.

6°) Exsecutio subitanea talis propositi praeordinati, et eiectio mulieris statim ac se quadam securitate frui ratus est (v. infra, quae in n° 7 de re exponuntur).

7°) Matrimonii inconsummatio, quae ab utraque parte concorditer, certissime absque collusione, et a multis testibus affirmatur. Sufficiat heic recolere quae supra audivimus ab actoris matre. Sed quid gravius conventa exhibet: « Giuseppe, in quell'occasione (nempe in actu celebrationis), non mi rivolse neppure uno sguardo... Prima della celebrazione del matrimonio, temevo già che non fosse altrettanto contento (quanto me), ma di questo ne ebbi la certezza durante la celebrazione, nella quale egli fu nei miei riguardi d'una indifferenza e d'una freddezza assoluta. ... Appena uscito dal carcere, venne nella casa di campagna ... *appena giunto alla mia presenza*, *mi sputò in faccia*, e corse dalla mamma ... Qualche giorno dopo, per la nascita della figlia del Principe di Piemonte, ci fu un'amnistia, in seguito alla quale, ritenendosi egli assolutamente fuori pericolo, venne a ritirarmi dai suoi, e portarmi presso la mia famiglia ».

His in adiunctis, coitum potuisse contingere, ne concipitur quidem, et ipse Defensorr Vinculi de hoc grave dubium non movet.

8°) Reconciliationis refutatio, etiam post filiae nativitatem.

Haec omnia de se loquuntur, et, si una simul accipiantur ac recogitentur, plenam simulati consensus probationem exhibebunt.

Propterea, quaestio de inconsummatione ad Apostolicam dispensitionem super rato obtinendam supervacanee in casu poneretur.

Quibus omnibus in jure et in facto perpensis... definitive sententiamus dubiis propositis respondentes:

I°) - Negative ad primam partem, affirmative ad alteram: idest sententiam Rotalem diei 22 aprilis 1950 esse infirmandam, ideoque *constare de matrimonii nullitate*, *in casu* ».

II°) - Provisum in responsione ad primum dubium.

Arcturus Wynen
Petrus Mattioli, *ponens*
Joannes Maria Pinna

Nota: Sententia ad exsecutionem transivit.

III°

Coram R. P. D. Ioanne M. Pinna, *Ponente*

BONONIEN

Nullitatis Matrimonii et Dispensationis

Sententia definitiva diei 17 dec. 1955

(*Omissis*)

In Jure. - 2. Cum matrimonium de quo in casu accusatum fuerit in libello tamquam nullum ad normam canonis 1086 § 2, satis fuisset nota recolere principia constanter in jurisprudentia et doctrina tradita ad dignoscendum quandonam revera habeatur positivus voluntatis actus, excludens « omne jus ad coniugalem actum », nisi patronus, in expositione valde confusa juris, non dubitavisset excogitare erronea, de eodem effectu quem produceret exclusio juris et exclusio usus juris. Ait enim distinctionem ponendam esse inter usum juris, et exercitium eius, « ne dicatur in specie matrimonium valere ob exclusum tantum usum juris, iuxta formulam *vere suetam*, etsi contradictoriam, ideoque irritam ». Et prosequitur: « Dum jus sine exercitio dari potest, e contra ne concipi potest *jus absque usu* seu absque jure utendi eo. Et vere si suo iuridico sensu usum intelligimus, *ipsum tantum jus utendi habendum est*, minime exercitium juris; quo sensu sane dicimus jus ne concipi valere sine usu, seu usum indivisibilem esse a jure ».

Radix confusionis est in errata notione *usus* quem permiscet cum jure ipso. Jus enim utendi — quod a patrono appellatur usus — reapse non usus est, sed jus subiective acceptum, i. e. « legitima facultas moralis ad aliquid habendum, agendum, omittendum, exigendum ». Hoc sensu « dicitur jus dominii, seu proprietatis, jus possessionis, jus in re vel ad rem, *jus utenti*, *fruendi*, jus operarii ad stipendium » (Maroto, *Institutiones juris canonici*, tom. 1, Romae 1921, n. 6, p. 17; cfr. Wernz Widal, *Jus Canonicum* I, n. 45). Ideo facultas haec moralis, ab usu distinguitur, qui est veluti obiectum ad quod illa ordinatur. Hinc firmo manente jure seu inviolabili et legitima facultate, recusari vel etiam impediri potest usus, aut suspendi. Rectis traditis notionibus, falsissimum est in iis quae ad substantiam matrimonii pertinent jus ne concipi quidem posse absque usu. Jam S. Thomas docebat fidem et prolem posse dupliciter considerari: « uno modo in seipsis, et sic pertinent ad usum matrimonii »; « alio modo... secundum quod sunt in suis principiis, ut pro prole accipiatur intentio prolis et pro fide debitum servandi fidem sine quibus etiam matrimonium esse non potest ». In altero casu non traditur jus; in priore e contra, jure

rite tradito et firma essentia matrimonii, attingitur usus, et ideo sacrum foedus non irritatur, cum inveniri possit « sine fide et prole, quia esse rei non dependet *ab usu suo* ». (Suppl. qu. 40 art. 3c.).

Idem tradit Sanchez: « aliud esse sentiendum de tribus matrimonii bonis, quoad obligationem, et aliud quoad exsecutionem; nam quoad obligationem, omnia illa sunt de matrimonii essentia... Si tamen considerentur haec quoad exsecutionem et in seipsis, sic bonum sacramenti quod est indissolubile vinculum, est de essentia sacramenti matrimonii, non autem fides et proles. Hinc fit ut intentio contraria bono sacramenti irritet matrimonium, non autem intentio contraria bono fidei et prolis; si tamen adversaretur intentio fidei et prolis *quoad sua principia*, similiter irritaret matrimonium... quia cum haec sint matrimonio essentialia, talis intentio essentiam excludit » (*De Sancto Matrimonii Sacramento*, Lib. II, disp. XXIX, n. 11-12).

Constans est canonistarum doctrina, quae distinguit inter obligationem in se spectatam seu jus et exsecutionem seu usum, vel inter intentionem contrahendi seseque obligandi et intentionem non implendi (cfr. Cappello, *De Matrimonio* ed. 1947 n. 16; et 600 sq.; Gasparri, *De matrimonio*, ed. 1932, n. 898 sqq.; Wernz Vidal, *Jus Matrimoniale*, ed. 1928 n. 28 et n. 518).

Consonat universa jurisprudentia N. S. O., cui solemne semper fuit matrimonium habere nullum quoties probaretur exclusum ipsum jus, minime vero si ex actis evinceretur tantum exclusio exercitii juris seu intentio afficiens solummodo usum juris rite traditi. Monet sententia diei 23 febr. 1951, Romana, c. Staffa: « Distinctionis probatio inter jus et usus juris relate ad actus vere coniugales, naturali ipso rationis lumine praebetur et communi constantique sententia Doctorum, ita ut non absque admiratione quosdam judices ecclesiasticos errori videantur favere quo juri naturae vis infertur, principium concutitur quo judicia in hac re inniti debent, et normae evertuntur, quibus amotis coniugale consortium plerumque in discrimen verteretur »; atque recte comparationem instituit: « Distinctio... inter jus subiectivum et eius usum seu exercitium, in re nostra habetur ad instar distinctionis inter potentiam et actum pro philosophis » (cfr. *Periodica* fasc. III (1951) p. 291-297; cfr. et A. A. S. (1951) p. 872).

Notiones in hac sententia rotali traditas refutare conatus est Cl. P. Oesterle, asserens inter alia: « coniux, qui ante nutpias expresse excludit usum matrimonii seu praestandum debitum, excludit utique obligationem ». (*Animadversiones in sententiam S. R. R. diei 23 februarii 1951 coram Staffa*, in *Il diritto Ecclesiastico*, 1951, p. 730 ss.). Ast Summus Pontifex in allocutione diei 29 oct. 1951

docuit: « Se già nella conclusione del matrimonio almeno uno dei coniugi avesse avuto l'intenzione di restringere ai tempi di sterilità lo stesso *diritto* matrimoniale, e non soltanto il suo *uso*, in modo che negli altri giorni l'altro coniuge non avrebbe neppure il diritto di richiedere l'atto, ciò implicherebbe un difetto essenziale del consenso matrimoniale, che porterebbe con sé la invalidità del matrimonio stesso, perché il diritto derivante dal contratto matrimoniale è un diritto permanente, ininterrotto, e non intermittente di ciascuno dei coniugi di fronte all'altro. Se invece quella limitazione dell'atto ai giorni di naturale sterilità si riferisce non al diritto stesso, ma solo all'uso del diritto, la validità del matrimonio resta fuori di discussione ». (A.A.S. (1951) p. 845).

3. - Actus positivus contra matrimonii substantiam, tunc tantum irritat coniugium cum excludat jus ad actus coniugales, minime vero si usum juris attingat, (cfr. Cappello, o. c. n. 631).

Censetur autem jus ipsum exclusum fuisse quoties firmissima et praevalente voluntate quis matrimonium sic et non aliter contrahere intendat, seu prole destitutum, ita ut constet de vera limitatione consensus coniugalis. Etiam exclusio temporanea per se dirimit coniugium dummodo vere probetur ipsum jus fuisse ad tempus denegatum. Hoc tamen potius theoreticum est. Practice enim standum est communi praesumtpioni, iuxta quam temporanea exclusio denuntiat merum abusum matrimonii (cfr. Basileen, c. infrascripto Ponente, diei 10 maii 1955).

Conditio stricte dicta vel pactum denegandi absolute omnem prolem faciliorem reddit probationem exclusi ipsius juris. Immo conditio vocatur regina praesumptionum pro jure excluso (cfr. c. Felici, N. N., diei 28 febr. 1950). Pariter vera *conditio*, vel conventio, attingens jus radicale (Gasparri, l. c. n., 903) non reddendi debitum, sive absolute, sive pro lubitu alterutrius, praesumere sinit limitationem consensus, secumferentem matrimonii nullitatem. Consensus enim coniugalis est mutua traditio et acceptatio juris in corpus in ordine ad actus per se aptos ad generandam prolem, et quidem non ad lubitum compartis vel ad tempus, sed absque limitibus seu facienda alteri parti « toties quoties rationabiliter, pro rerum adiunctis et probatis moribus illa petit » (c. Mattioli, diei 27 julii 1949, in *Monitor Ecclesiasticus*, 80 (1955) p. 412). Haec tamen concludentissime probanda sunt, confessione praesertim extrajudiciali simulantis vel paciscentium, testimoniis fide dignis, aptis causis simulationis, circumstantiis antecedentibus, concomitantibus et subsequentibus nuptias.

Andreas Jullien, *Dacanus*
Arcturus Wynen
Ioannes M. Pinna, *Ponens*

IV°

Coram R. P. D. Joanne M. Pinna, *Ponente*

Vic. Ap. de Amboina

Nullitatis Matrimonii

Sententia definitiva diei 20 aprilis 1955

1. - Facti species. Insciis partibus, seniores propinqui nuptias conciliaverunt inter Blancam R. catholicam, natam in pago S. anno 1917, et Soterum W. in eodem pago ortum anno 1912. Interrogata puella a fratribus num matrimonio consentiret, antea assensum praebuit, postea vero reluctantiae signa dedit, quam ob rem verberibus affecta est a Paulino fratre.

Sacrum foedus initum fuit, magna cum festinatione, die 29 decembris 1944, in ecclesia pagi S. (insula Kei minori), Vicariatus Apostolici de Amboina, ob absentiam sacerdotum, durante bello, coram catechista et duobus testibus.

Infelix fuit matrimonii exitus praesertim quia uxor coniugalia officia implere recusavit atque pluries domum maritalem deseruit.

Sotero in amentiam prolapso, Blanca, libello diei 6 ianuarii 1949, matrimonium nullitatis accusavit, apud Tribunal ecclesiasticum Vicariatus Apostolici De Amboina, ob simulationem consensus necnon ob vim et metum sibi incussum.

Processu confecto Tribunal sententia diei 27 octobris 1949 edixit constare de nullitate vinculi « ex capite non consensus propter vim et metum ». Tribunal vero Vic. Ap. De Surabaia, in gradu appellationis, censuit non satis probari simulationem nec gravitatem metus, ideoque sententiam tulit negativam die 25 martii 1950.

Appellatione ad Apostolicam Sedem interposita et ad N. S. T. delata, curator datus est convento, mente capto, ad normam can. 1648 § 1, 1651 § 2 et art. 78 § 3 Instructionis *Provida Mater*. Peracto inquisitionis supplemento, causa hodie definienda venit, in tertio iurisdictionis gradu, sub concordata formula dubii: « An constet de nullitate matrimonii in casu ».

In Jure. - 2. Nullum est matrimonium ubi consensus deficit (can. 1081). Ardua tamen evadit probatio cum superanda sit praesumptio conformitatis interni consensus verbis vel signis externe adhibitis in matrimonii celebratione (can. 1086 § 1). Quae praesumptio non cedit nisi concludentissimis argumentis.

Simulationis causa potest esse metus: « etenim metum patiens, ad aufugienda mala, quae, nisi matrimonium invisum celebret, re-

formidat, induci potest ad consensum exterius simulandum. Attamen, quin haec extrema sequantur, metum patiens... potest vero consensu matrimonium eligere, sed metus iste, si sit gravis, ab extrinseco et iniuste incussus... irritat matrimonium » (c. Exc.mo P. D. Jullien, Vic. Ap. Novae Guineae, N. M., diei 12 nov. 1924, S. R. R. Decis. vol. XVI p. 383). Etsi enim metu gravi coactus vere consensit in nuptias, atque ideo per se contractus validus est, nihilominus nuptiae irritae habentur ab Ecclesia, probe sollicita ne mala sequantur quae solent de invitis provenire coniugiis (can. 1087).

Quare, « probato metu, iis suffulto adiunctis quae requiruntur ut matrimonium sit invalidum, nullitas declarari potest, quamquam supersit aliquod dubium, utrum metum patiens consensum revera simulaverit, an consensum praestiterit, verum quidem sed ex gravi metu procedentem » (c. Jullien, l. c. p. 384; cfr. c. Jullien, Vic. Ap. Oceaniae Centralis, N. M., diei 23 iulii 1927, S. R. R. Decis. vol. XIX p. 316).

Gravitas metus perpenda est non absolute sed attentis moribus, indole, ingenio, aetate personarum tunc incutientis quam patientis, necnon considerata aversione nupturientis in propositum matrimonium: quo gravior enim fuit haec animi repugnantia eo gravior censetur fuisse metus incussus.

3. - Sola tamen aversatio argumentum decretorium constituere nequit, praesertim ubi adiuncta suadeant nupturientem morem gessise voluntati superiorum vel parentum. Notum est apud populos ubi « imperium domesticum adhuc tenaciter viget, praecipue filias parentum ita auctoritate premi, ut vel ad ipsas nuptias communiter coacte adigantur; sed non sequitur ex hoc, ut aliqui vellent, pleraque matrimonia invalida esse: filii enim, in genere, usibus pagi ac instituto familiae in quod rebellionem ne cogitare quidem valent, facile acquiescunt et parentum voluntati subiecti, morem gerunt » (c. R. P. D. Canestri, Vic Ap. De Rabat, N. M., diei 27 iunii 1939, S. R. R. Decis. vol. XXXI p. 431 n. 6).

Accurate sunt igitur cuncta adiuncta in concreto pensanda, et si disceptationi iudiciali subiciantur « facta et depositiones personarum, quae vivunt in regione longinqua ac sunt de gente quae ad altiorem humanitatis gradum adhuc non pervenit... multum deferendum est, iuxta constantem praxim N. S. O., informationibus tradendis a viris qui, fide digni ac prudentes existimatores rerum populi istius, iudices edoceant, ad instar peritorum, de notitiis ethnologicis, quas dicunt, necessariis ad veram factorum et dictorum naturam dignoscendam » (c. Exc.mo P. D. Jullien, Vic. Ap. Novae Guineae Neerlandicae, N. M., diei 17 ian. 1938, S. R. R. Dec. vol. XXX p. 40 n. 4).

In Facto. - 4. Ad *simulationis caput* quod attinet, constat ex actis Blancam verba externe protulisse, in matrimonii celebratione, consensum exprimentia. Atqui eadem praesumuntur interno consensui conformia nisi contrarium probetur. Asserit Blanca, in examine iudiciali altero, se ore tantum consensisse, *non interne*. Hoc tamen intelligendum videtur non de simulatione proprie dicta, sed de consensu non libenter et « ex corde » praestito, prout legitur in libello, et componenda sunt cum responsione data in praecedenti examine: « ex metu tantum consensum dedi » et in tertia excussione: « ore tantum, non corde assensi ».

Quod si actricis novissima affirmatio interpretari quis velit de simulatione, unam haberemus simulantis confessionem iudicialem, nullomodo concludentibus probationibus corrivatam.

5. - Quod ad gravem metum, iniuste puellae incussum, nocent actrici plura mendacia quae verita non est proferre in iudicio, tum circa motivum fugae in domum conventi tum circa recusationem etiam initialem conciliatorum a fratribus sponsalium, tum circa molestias a fratre natu maiore, scil. ab Emmannuele, acceptas. Etenim Blanca autumat se fratri et Carolo interrogantibus a consentiret in matrimonium cum Sotero negative respondisse; unanimis e contra prostat depositio testium iurantium puellam nuptias acceptavisse. Id testantur Carolus, eius uxor, Innocentia, Veronica, necnon Angelina, de visu et auditu proprio facta et verba referentes. Antea praeterea Blanca asseruerat se molestia affectam esse ab Emmanuele eo quod nolebat matrimonium inire, postea, in altera excussione, id negat. Denique contra pristinam affirmationem « in domum Caroli aufugi », novissime declarat se iussum accepisse a Paulino, fratre, ut domum Soteri adiret.

Hisce mendaciis haud obstantibus quaedam facta indubia habentur peculiari attentione digna.

Ex voto Exc.mi Vicarii Apostolici de Amboina scimus mentem paganam, praesertim in pago, adhuc quodammodo praevalere in usibus antiquis: iuniores liberos non esse in electione sponsi aut sponsae, sed matrimonia constitui sub seniorum auctoritate quae maxime valebat et reputabatur firmum societatis indigenae fundamentum. Seniorum, iuxta consuetudines veteres, magni interest ut matrimonium puellarum celebretur quia praetium solvitur familiae mulieris quod adhibetur ad alia matrimonia, in familia, ordinanda. Ita fit ut graves oriantur difficultates si praetium, iam solutum, sit reddendum. Hinc puellae, quamvis antea invitae, se conformare solent; ceterum eorum aversio parum prodesset: nam « in opinione seniorum licita erant ad frangendam resistentiam puellae et ad eam cogendam, si hoc necesse esset » varia media.

Inito autem matrimonio « seniores non amplius curant de modo agendi puellae, ut antea ».

Matrimonia ex mutuo amore « non congruebant ingenio et mentalitati indigenarum ».

Hisce praemissis de consuetudinibus insulae ubi facta evenerunt, de quibus in praesenti causa, facilius quaedam intelliguntur mentalitati indigenarum ».

In casu non est Soter qui uxorem petit Blancam, sed res aguntur inter seniores: Carolus, frater natu maior Soteri, puellam petit ab Emmanuele, fratre maiore natu Blancae, qui locum tenet, in familiae regimine, parentum, vita functorum. Idque fit ignaris Sotero et Blanca. Testatur ipse Carolus: « domum Emmanuelis, fratris Blancae adii, ut Blancam peterem uxorem Soteri. Ipse Soter tunc nihil sciebat ». Statim, praesentibus Carolo, uxore eius, Angelina, uxore Paulini, fratris actricis, necnon Veronica, Emmanuel interrogavit Blancam utrum vellet inire matrimonium cum Sotero et responsum accepit affirmativum. Eodem die — testatur Paulinus — praetium seu dos soluta est: quod confirmat puellam reapse nuptias obiatas acceptasse; interrogata enim actrix, in altera inquisitione: « Quando puella non vult consentire matrimonio, maiores non utuntur loqui de dote? » respondet: « sic est ». Iudici proinde urgenti: « Quare hoc in casu de dote locuti sunt? » respondet: « Quia externe consensus eram, ore tantum, non interne ».

6. - Ex animo acceptaverit vel ore dumtaxat sponsalia proposita, ambigendum non videtur puellam mox saltem tergiversasse et contrariam se alioquo modo praebuisse. Nam postquam dos iam soluta erat, fratribus necessarium visum est eam iterum interrogare num revera consentiret in matrimonium cum Sotero. Refert Paulinus: « Rogata est ut veniret, sed nullo modo festinabat. Paulatim accessit ad portam cubiculi, ubi sedebamus. Ipse tunc eam interrogavi an matrimonium inire vellet cum Sotero. *Nullum responsum dedit.* Tunc ipse Emmanuel dixit, oportere ut meae quaestioni responsum daret, nempe num vellet an non matrimonium cum Sotero. *Nec tunc responsum dedit, sed tergum dabat* Emmanueli, quod est *gravis inurbanitas* et valde opponitur moribus nostris. Qua de causa valde iratus sum et verberibus eam afflixi ».

Factum confirmari non potuit ab Emmanuele, quia anno 1948 vita functus est. Enarratur tamen ab actrice et substantialiter innotuit Carolo, Innocentiae et Angelinae.

Actricis silentium et inurbanitas certum signum videtur aversationis eius in nuptias cum Sotero, atque modus manifestandi dis-

sensum. Et reapse ita interpretati sunt fratres, prout testatur Innocentia, uxor Caroli: « Emmanuel dicebat non multo post, quod Blancam dixerat se non consentire in matrimonium cum Sotero et ipse Emmanuel addidit quod, in illo casu, oporteret ut *praetium mulieris reddatur* ». Quod, ex rumore, refert etiam Angelina et Donatianus N. in depositione altera, necnon Anacletus N.

Contrarietatis causa, iuxta Dionysium W., fuisset desiderium Blancae nubendi alii viro: « puellam — ait testis — poenituit reticuisse in iudiciali examine « se nolle matrimonium inire cum Sotero, quia persuasa fuit a Modesta ad matrimonium inire cum viro de insula Oer ». Sed actrix, quarto in ius vocata, declarat se numquam virum ex Oer desiderasse aut voluisse. Aliam potius causam aversionis ipsa indicavit in altero examine: « Nullum habebam amorem pro Sotero; et ratio erat quod antea familia mea iam conatus fecerat ut familiam Soteri, inter alios Carolum, persuaderet ad petendum me pro Sotero aut pro fratre eius, sed Carolus tunc omnino recusabat. Et cum postea ipsi veniebant ad destinandum Soterum pro me ego non amplius volebam ».

7. - Cum de aversione Blancae satis constet, inquirendum est cur eadem nupserit Sotero, non amato et inviso. Affirmat actrix se coactam fuisse graviter a fratribus et a Japonensibus militibus, tunc insulam occupantibus. Quod ad coactionem ex parte fratrum asserit: « quia matrimonium illud inire nolebam, *molestia me afficiebant*, ita ut difficile esset habitare in illa domo (fratrum). Et postquam *Paulinus aliquando me verberibus afflixit*... aufugi ». Molestiam tamen, ut iam dictum est, ipsamet negat in depositione altera. Unde manent tantum verbera, quibus a Paulino fratre efflicta est. Verum Paulinus in sororem saevit non ut eam cogeret ad nuptias sed ut puniret eius inurbanitatem. Ast licet obiective desint coactiones a fratribus inflictae in ordine ad matrimonium, Blanca interpretata est verbera tamquam ordinata ad eius consensum extorquendum. De hac subiectiva persuasione videtur non posse dubitari, non quidem propter ipsius mulieris declarationem, sed praesertim ob facta, verbis fortiora. Post paucos dies enim mulier denuntiavit ministris publicis se a fratribus cogi ad ineundum matrimonium: « abi in pagum Ohoira ut ministris publicis referrem quod *cogere me vellent* ad matrimonium cum Sotero ineundum, cum ipsa omnino nollem ». Factum confirmatur depositione Caroli, Paulini, Innocentiae, Donatiani et, ex rumore, vel quod ad substantiam innotuit Laurentio W. atque Veronicae, necnon Angelinae.

Familiam suam certe non accusavisset tamquam metum sibi

inferentem nisi firmiter persuasum habuisset se verberatam fuisse a Paulino ut ad nuptias cum Sotero cogeretur.

Obiici potest, Blancam verberibus caesam, aufugisse in domum Soteri; quod non egisset si aversa ab eo fuisset.

Respondetur prae oculis habenda esse adiuncta et mentem personarum, necnon mores locorum. Aufugit puella vel ut saevitias evaderet vel in signum protestationis; uti videtur, nullum habebat apud quem confugere potuisset, ideo domum familiae sponsi petiit, non ut ibi permaneret sed animum gerens accusandi fratres et protectionem petendi a civili magistratu. Praeterea prae oculis habenda est excussio tertia actricis ubi ait: « Paulinus una die me verberavit et me increpavit *iubens* mihi ut domum Soteri adirem ».

8. - Alius fons coactionis perhibentur milites Japonenses. Facta denuntiatione, publicus magistratus literas ipsi puellae dedit, tradendas Emmanueli, qui eas exhibere debebat, ut reapse fecit, militibus Japonensibus. Enarrat actrix: « Ipsa secuta sum Emmanuelem ... Caput Japonensium litteras accepit, sed antequam illas perlegeret, ego vidi quod Modesta R., mater Florentinae, iuxta me stabat. Aliquis ex Japonensibus accedebat ad nos et manus nostras ligabat ». Quare hoc fecisset, actrix nescit: « Vidi eos (Japonenses) valde iratos ». Cum postea, solutis vinculis, aufugisset, apprehensa est et crudeliter caesa ».

Cur ita egissent Japonenses clarum non est. Testatur Paulinus sententiam Japonensium hanc fuisse: « quando praetium iam solutum est ipsam matrimonium inire cum Sotero oportet ». Videretur Paulinus hac in re non dignus fide. Namque antea retulit se, post fugam sororis, citatum fuisse a Japonensibus et interrogatum cur Blancham verberibus affecisset; postea vero, in altera scil. depositione, negat se a Japonensibus vocatum fuisse. Sed distinguenda sunt tempora: in prima depositione testis asserit se citatum fuisse a Japonensibus quando, ploratum Blancae cum audivissent, inquisitionem instituerunt; in examine iudiciali altero, vero, sermo est de eorumdem interventu post denuntiationem factam a Blanca et citationem Emmanuelis ex parte magistratus Donationi ut se sisteret coram Japonensibus. Hi punierunt Blancam probabiliter quia iniustam aestimaverunt accusationem in fratres, cum, ex iam peracta inquisitione, facta novissent et edixissent matrimonium debere celebrari. Ideo intelligitur et inflicta gravis poena, quae secus inexplicabilis foret, et depositio quorundam testium asserentium puellam fuisse ab iratis militibus graviter verberatam, praecise ob suam accusationem de matrimonio coacto, et quia suspicabantur Modestam, mulierem dolosam, Blancam instigasse. Ita Carolus W. et Laurentius W.

Quidquid sit de motivo cur a militibus actrix asperrimis poenis affecta fuerit, indubium est eam putasse se *haec omnia expertam esse matrimonii causa*, seu ut ad nuptias cum Sotero adigeretur.

Hinc in domum Caroli deducta, statim in matrimonium consensit, idque celebravit paucos post dies coram catechista; in facie ecclesiae « assensu externum » dedit, « timore ducta Japonensium ». Haec ipsa repentina mutatio qua ex nolente, immo fratres denuntiante de metu incussu, facta est volens, post quidem medicinam a duris militibus subministratam, gravissimum argumentum est coactae voluntatis.

9. - Vita communis licet pacifica visa sit Donatiano, saltem initio, reapse intimis dissidiis funestabatur. Enarrat actrix: « Nolui eum, nec ut nupti vivebamus, quare Carolus bis me caedit ». Quod confirmant, relate ad debiti recusationem, Paulinus: « secundum mores nostros non se gesserunt ut mariti »; Veronica: « Post matrimonium audivi ab Innocentia eam cum Sotero coitum habere nolle », congruenter ad Innocentiae depositionem in prima instantia factam: « omnino recusabat ei ius matrimonii dare ». Recusationem eiusmodi esse iuxta mores loci, edocet nos senior missionariarum in his insulis, qui, rogatus a Vicario Apostolico, scribit multos esse casus puellarum quae ante matrimonium cedunt metui et difficultatibus, sed nuptiis celebratis fortiter viro resistunt adeo ut « commoveri ad actum coniugalem omnino non possint, nisi vim eis inferendo ».

Quibus omnibus in jure et in facto perpensis, Nos infrascripti Auditores de turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi Nomine invocato decernimus, declaramus et definitive pronuntiamus, respondentes ad propositum dubium: « Affirmative seu constare de nullitate matrimonii in casu ».

Ita prountiamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris tribunalium, ad quos spectat, ut exsecutioni tradant hanc Nostram definitivam sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam SS. Canonum, iis adhibitis exsecutivis mediis, quae opportuniora et efficaciora pro rerum adiunctis exstitura sint.

Romae, in Sede Tribunalis S. R. Rotae, die 20 aprilis 1955.

Andreas Iullien, *Decanus*
Emmanuel Bonet
Ioannes M. Pinna, *Ponens*

STUDIA
ET
CONSULTATIONES

DE VOTO IN CAPITULO HISTORICE CONSIDERATO

Continuatio

DE CANONICIS REGULARIBUS

Historia

Uti supra [1] indicatum fuit, caput tertium primae Sectionis agit de Canonicis Regularibus.

In prima paragrapho tractatur historia Instituti Canonicorum Regularium. I. suppeditat sequentem conspectum: Institutum Canonicorum Regularium ortum sumpsit secunda saec. XI parte ex illis saecularibus Canonicis Ecclesiarum cathedralium et collegialium, qui sub ipso episcopo aut sub alio praeside, cui nomen abbas, praepositus, prior, vitam communem duxerunt. S. Ambrosius in epistula ad Ecclesiam Vercellensem nominat S. Eusebium Vercellen. († 371) auctorem vitae communis clericorum in Ecclesia occidentali. Quod exemplum secutus est S. Augustinus Hipponen.; ipse praeter vitam communem inculcavit absolutam paupertatem, ita « ut nemo quidquam proprium in illa societate haberet, sed iis essent omnia communia, et distribueretur unicuique prout opus erat ». Legislatio autem synodalis medii aevi anterioris exemplum Hipponen. sibi ante oculos posuit. Chrodegangus Metensis episcopus (742-766) enim, qui clericos Ecclesiae cathedralis obligavit ad vitam communem, a. 755 composuit propriam pro ipsis regulam, quae in pluribus elementis nititur regula S. Benedicti. Paupertatem autem, quod attinet, Chrodegangus iniit compromissum huius tenoris: canonici debuerunt bona immobilia donare ecclesiae ex una parte, ex altera autem ipsis concessit usumfructum ex dictis immobilibus, eleemosynas accipiendas, liberam de bonis mobilibus dispositionem. Super hoc fundamento legislatio Carolingiana studuit vitae canonicorum communi propagandae in Imperio. De facto Ludovicus Pius in Synodo imperiali Aquisgranen. a. 816 declaravit regulam Chrodegangi in forma ampliori compositam habere characterem legis Imperii. Collapsus Imperii Carolingiani et imprimis concessio peculii iam saeculo nono, praecipue autem saeculo decimo vitam communem cleri celeri tradiderunt ruinae. Reformatio Gregoriana saec. XI. praeter cetera insidiata est possessioni cleri privatae et ursit vitam communem restituendam. Quae tendentiae in Concilio Lateranen. a. 1059 moverunt ad statuendum caput IV. huius tenoris: « et praecipientes statuimus, ut ii praedictorum ordinum, qui eidem praedecessori nostro obedientes,

[1] (Cfr. Monitor Ecclesiasticus, vol. LXXX (1955), n. 3, pag. 492-510).

castitatem servaverunt, iuxta ecclesias, quibus ordinati sunt, sicut oportet religiosos clericos, simul manducent et dormiant; et quidquid eis ab ecclesia venit, communiter habeant. Et rogantes monemus, ut ad apostolicam, communem scilicet, vitam summopere pervenire studeant ». Eandem fere normam tulit Alex. II. in Concilio Romano a. 1063. Propugnator huius Reformationis fuit ante omnes S. Petrus Damiani. Iuxta L. Hertling « reformatio cleri saec. XI. fuit vehemens conatus efformandi ex clericis monachos ». Neque in Decretis Concilii Romani a. 1059 et 1063 habiti neque apud S. Petrum Damiani est sermo de regula S. Augustini, sed de facto sub Alexandro II. (1061-1073) in ecclesia Remensi observata fuit. Clerici Lateranenses illo tempore videntur ad exemplar monachorum emisisse vota. Canonici, qui obsecuti Decretis a. 1059 et 1063 voto ad communem vitam sese obligabant, vocati sunt « Canonici regulares » in oppositione ad canonicos saeculares, qui nullo voto sese ligaverunt; nominati sunt etiam « Canonici regulares S. Augustini », quia regulam S. Augustini posuerunt fundamentum vitae communis. P. W. Huempfner censet dictam regulam a monachis vi incursus Vandalorum ex Africa expulsis translatam fuisse in Italiam meridionalem, Galliam, Hispaniam.

Sub finem saec. XI., imprimis saec. XII. ubique fundata sunt collegia canonicorum regularium, quin tamen singula collegia inter se unionem iuridicam inierint. Sed temporum circumstantiae et hortationes Romanorum Pontificum creaverunt Congregationes, quae tamen requisiverunt statuta pro singulis collegiis et pro ipsa Congregatione, regula S. Augustini prae se ferente praeprimis characterem asceticum.

Ex magno Congregationum numero quaedam maiorem vim obtinuerunt aut ratione ministerii pastoralis prout Praemonstratenses et Canonici Regulares Ordinis S. Crucis in Hollandia aut ratione influxus reformatorii v. g. Canonici Windesemenses.

Ordo Praemonstratensis a S. Norberto de Gennep a. 1120 in valle « Prémontré » in territorio Suessionen. fundatus iam a. 1126 fuit approbatus ab Honorio II. Qui Ordo est primus, qui curam animarum cum vita contemplativa monastica conciliare studuit; unde quasi per saeculum praecessit sub hoc respectu fundationem S. Dominici. Primae Constitutiones fundatae super regulam S. Augustini sibi uti exemplar proposuerunt « Cartam Caritatis » Cisterciensium et eorumdem « Instituta generalia » et assumpserunt quaedam puncta ex Statutis Cluniacens., prout erant expressa in « Consuetudinibus Hirsauguensibus ». Ultima redactio facta a. 1947: « sacri, candidi et canonici Ordinis Praemonstratensis Statuta renovata ».

Ordo Crucigerorum Hollandiae eodem fere tempore fundatus ac ille S. Francisci et S. Dominici a Theodoro de Celles († 1236); sed proprie dictus moderator fuit Petrus de Walcuria, fundans Ordinem super regulam S. Augustini et imitans Constitutiones Praedicatorum post ipsarum redactionem S. Raymundi de Pennafort factam. Praetereundo varia Ordinis discrimina, imprimis ratione Iosephinismi, Revolutionis Gallicae, sic dictae Saecularizationis, quae Ordinem quasi exstinctioni tradiderunt, specialem proprietatem huius Ordinis notatam habere velim . Ordo ab initio plura constitutiva elementa habuit communia cum Ordine S. Dominici, sed insimul assumpsit elementum essentiale constitutivum Congregationum monasticarum sub *uno* capite i. e. superiore domus matricis militantium. Ratio huius proprietatis haec est: per multa saecula superior generalis fuit insimul superior localis domus matricis Claire Lieu prope civitatem Huy, sitam ad Mosam. Ex gravi pondere dato constitutioni conventuum ex una parte, ex altera autem regimen centrale totius Ordinis praestiterunt Constitutioni specialem proprietatem. Ex hac circumstantia saec. 17 et 18 in ipso Ordine diuturnae lites circa regimen ortum sumpserunt; nam priores conventuum persecuti sunt fines particulares, quibus obstitit regimen centrale. Occasione restaurandi Ordinis sub Generali van de Wiimelenberg ex a. 1853 autonomia singulorum conventuum notabiliter limitatus est: pondus regiminis residet in ipso Generalatu.

Congregatio Windesemensis sese formavit ex fundatione ipsius conventus « Windesheim », qui aut novas fundationes ad vitam vocavit aut iam existentes conventus in unionem recepit. Bonifacius IX a. 1395 confirmavit Ordinem, qui tum in Hollandia tum in Germania ramos suos extendit. Sub initium saec. XVII Congregatio « unanimi consensu » sese univit cum Canonicis Regularibus Lateranensibus. Quod attinet autem constitutionem et regimen, uterque Ordo nihil mutandum censuit. Sed caput utriusque Congregationis fuit Abbas generalis Lateranensium, eligendus in Capitulo generali, cui adfuerunt « aliquot graves et probati viri » ex Congregatione Windesemensi. Quae unio minoris momenti fuisse videtur. Sub infaustis interventibus saec. XVIII et XIX Ordo existere desiit.

PRAEMONSTRATENSES

I. REGIMEN CONVENTUS

In primis Statutis Praemonstratensium ex a. 1130 nondum est sermo de electione Abbatis per ipsum Conventum; forsan hac ex

ratione, quod Statuta vivente s. Fundatore condita fuerunt. Quod attinet receptionem candidatorum ad novitiatum et professionem, valuit norma illa monastica: « novitii ad nos venientes secundum tempus quod discretio abbatis vel quorumdam seniorum providerit, ducantur in Capitulum ». Ordinatio totius Ordinis-moderatus centralismus cum recognita autonomia singulorum conventuum — secuta est plene Cartam Caritatis Cisterciensium. Statuta a. 1290 nos instruunt de electione abbatis. Consequenter ad principia Cisterciensium sede monasterii Praemonstratensis vacante tres primi Abbates Ordinis, sc. illi de « Laon, Floreffe, Cuisy » assumpserunt administrationem monasterii. Electio abbatis Praemonstratensis competit Canonicis Praemostratensibus « cum consilio primorum Abbatum... ad quos cura dictae Ecclesiae respicit »; insuper quattuor alii abbates abbatiarum a monasterio capite fundatarum advocandi erant iuxta beneplacitum canonicorum. De iure activo abbatum nominatorum in electione non fit sermo. In casu electionis alterius abbatis fuit Abbatis Patris determinare diem electionis et praeesse electioni una cum duobus aut tribus abbatibus Ordinis, « quos ad consilium suum duxerit advocandos ». Abbas Pater potuit electionem aut confirmare aut irritare. Forma electionis fuit illa per compromissum aut inspirationem, « aliis iuris solemnitatibus relegatis ». Si consensus requisitus obtineri non potuit,Abbas Pater « de consilio coabbatum suorum iis idoneam provideant personam, et illi eam sine contradictione recipiant in Abbatem ». Statuta a. 1630 concordant cum illis a. 1290. Quod attinet electionem per scrutinium, quamvis iure sit probata et permissa, tamen, propter graves rationes ea severitate omnibus Ordinis nostri Ecclesiis (ubi ex antiquo non est in continuo et pacifico usu) sit et maneat interdicta, ut Electio per ipsam facta sit nulla ». Tum Seniores tum Prior et Subprior videntur ab ipso Abbate esse nominati, sed conventus quandoque maiora iura acquirenda tentavit. De electione Prioris claustralis *ad vitam* in Germania et Gallia, imprimis in illis locis, ubi viguit systema Abbatum Commendatariorum, etiam temporibus posterioribus constat. Iuxta Statuta a. 1630 Consilium Abbatis constabat quinque membris ab Abbate electis, sc. Priore, Subpriore, Circatore [1], Provisore [2], Cellerario [3]. Accessit ad hos « Senior Con-

[1] « Ad circatorem pertinet, officinas monasterii horis sibi constitutis circuire, negligentias fratrum et ordinis praevaricationes observare, primas proclamationes in capitulo facere; cf. regulam S. Benedicti cap. 48: « Ante omnia sane deputentur unus aut duo seniores, qui circumeant monasterium horis, quibus vacant fratres lectioni, et videant, ne forte inveniatur frater acediosus, qui vacat otio aut fabulis et non est intentus lectioni, et non solum sibi inutilis est, sed etiam alios distollit ».

[2] Provisores exteriorum apud Praemonstratenses dicuntur illi, « qui ad quos

ventus », et dato numero viginti sacerdotum canonicorum, duo alii Seniores iuxta aetatem professionis.

Statuta a. 1130 concesserunt consilio Abbatis quendam haud determinandum influxum in receptione candidatorum; statuta autem a. 1290 postulaverunt consensum Consilii. Solummodo Statuta a. 1630 adiudicaverunt Conventui votum consultivum in hac materia. Quae Statuta respiciunt duos casus, qui in aliis Statutis vix commemorantur. Quid iuris, si maior pars Conventus votum fert contra admissionem novitii ad professionem, Abbas autem favet receptioni? Quid, si Conventus unanimiter resistit receptioni? In primo casu Abbas consulat suos Consiliarios, « et quod ipsi, partium rationibus sine forma iuris auditis... resolverint, sine ulteriore ulla contradictione servetur ». In secundo casu Abbati patuit recursus ad Abbatem Patrem « vel ad alium legitimum Superiorem ».

Post suppressionem monasterii Praemonstratensis et primarum abbatiarum in Gallia durante eversione rerum publicarum sub finem saec. XVIII., Ordo restauratus valedixit relationi « filiationis » inter singula monasteria olim existenti. Etiam singula coenobia quandam in constitutione mutationem subierunt. Iuxta statuta a. 1947 abbas generalis una cum rectore « Circariae », de qua postea, et cum uno ex Definitionibus Circariae comitiis eligendi abbatis praefuit. Locum impediti abbatis generalis tenet rector Circariae seu Vicarius generalis aut abbas ab abbate generali specialiter deputatus una cum duobus Definitoribus Circariae, aut cum duobus Abbatibus a Praeside vocatis. Abbas eligitur ad vitam a canonicis votorum solemnium et ordinum maiorum. Ad validam electionem requiritur maioritas absoluta; in tertio scrutinio sufficit maioritas relativa; si vota fuerint aequalia, electus habeatur senior praecedentiae. Confirmationem electionis dat abbas generalis aut praeses Capituli electionis.

In Consilium abbatis eligunt canonici unum ex suis; circa receptionem in Ordinem valent hae normae: pro admissione ad novitiatum requiritur consensus Consilii per secreta vota manifestatus; post votum consultivum ipsius Conventus abbas cum suo Consilio admissionem decernit; pro admissione ad professionem primam Consilium gaudet voto decisivo: pro renovatione votorum

---

pertinet exteriora providere, circuire curias et carrucas, et domos in eis construere, numerum animalium scire etc. » (Du Cange, v. Provisor).

[3] « Ad cellerarium pertinet que generalibus pulmentis necessaria sunt tam clericorum quam laicorum providere » ; cfr. cap. 31 regulae S. Benedicti : « de Cellerario monasterii qualis sit ».

temporariorum et pro admissione ad professionem solemnem voto consultivo.

Canonici votorum solemnium post receptum subdiaconatum gaudent voce activa in Capitulo. Sed ipse Superior nominat independenter a Conventu suos coadiutores, uti sunt prior, subprior, circator in coenobiis viginti canonicorum, provisor, cellerarius.

Canonici directum influxum habent in electionem tum superioris, tum unius canonici ad Consilium Abbatis, in admissionem novitiorum ad primam professionem per votum consultivum. Comparatione facta cum Benedictinis atratis dicendum: abbas Praemonstrasium in regimine conventus maiore independentia gaudet quam abbas Benedictinus.

II. DE REGIMINE CIRCARIAE [4].

Iuxta antiqua statuta districtus sufficientem numerum monasteriorum habens erectus est in Circariam, sub Vicario Domini Praemonstratensis, eligendo in Capitulo generali, sed ad nutum abbatis generalis. Potestas Capituli Circariae limitata erat ad Decreta edenda intra limites Statutorum, privilegiorum Ordinis, Decretorum in Capitulis generalibus publicatorum. Iuxta novissima Statuta Circariae sunt districtus complectentes varias canonias eiusdem regionis; existunt etiam Circariae immediate Abbati generali aut Capitulo generali subiectae.

Circa influxum subditorum in Capitulo Circariae singulis trienniis celebrando I. notat: influxus subditorum in regimine Circariae est sat modestus. Delegati ab ipsis ad Capitulum missi gaudent solummodo voto consultivo. In electionibus nullam partem habent, nisi in eligendo uno Definitore; unde momentum decisivum in regimine Circariae residet in Praelatis.

III. DE REGIMINE TOTIUS ORDINIS

Germen pro Capitulo generali convocando iam in Statutis a. 1130 positum fuit declarantibus: abbates singulis annis conveniant

---

[4] Ordo Praemonstratensium assumpserat a Cisterciensibus systema centralisticum una cum systemate filiationis; sed iam sub finem saec. XII dictus Ordo uti primus introduxit in regimen sic dictas Circarias ad instar provinciae; unaquaeque enim a duobus « circatoribus » canonice visitata fuit; unde nomen « circaria »; cf. Du Cange, v. 3 Circa, Cerchia; Lanfrancus in Statutis cap. 4: « circuitores monasterii, quos alio nomine Circas vocant. Statuta S. Dunstani: « secundum regulae (S. Benedicti) praeceptum constitui debet aliquis frater, qui ab officio circuitus sui Circa vocatur; v. Circator, Circinnator. Apud Du Cange: « Circarias vocant Praemonstratenses districtus « Circatoris seu Visitatoris ».

« gratia sese visitandi, ordinis reparandi, confirmandae pacis, conservandae karitatis... ad colloquium... in loco quem communi consilio providerint, ubi in sinistris corrigendis domno Abbati Praemonstratensi ecclesiae que mater est aliarum, sanctoque illi conventui reverenter singuli humiliterque obediant, et clamati veniam petant ». Statuta a. 1290 definiunt monasterium Praemonstratense uti locum Capituli generalis. Porro Decreta Capituli Generalis vim definitivam obtineant, si duo subsequentia Capitula ea confirmaverint. Statuta a. 1630 Capitula generalia ordinarie solum singulis trienniis celebrari iubent. Membra erant Praelati Ordinis. Novae Constitutiones limitant tempus celebrandi Capituli ad sexennium. Voce mere consultiva fruuntur quattuor Assistentes Abbatis generalis et Deputati singularum Canoniarum. Speciale quid exhibet Consilium Abbatis generalis. Capitulum generale eligit quattuor Definitores ex numero Praelatorum; item quattuor Assistentes, inter quos de iure Procurator generalis; qui Assistentes sint professi solemnes a decem saltem annis et expletos habeant triginta quinque annos, et quod magni momenti est, doctores in s. theologia aut iure canonico, « vel earum disciplinarum vere periti ». Capitulum generale exercet supremam auctoritatem in Ordine. Circa electionem Procuratoris generalis, Visitatorum seu Circatorum Capituli, quattuor Definitorum, trium Assistentium hoc speciale convenienter notatur: Praeses Capituli cum consilio Definitorum gaudet iure proponendi candidatos et factam electionem irritandi. Ut hoc addam: in Capitulo generali admittuntur etiam Deputati singularum Canoniarum; sed influxus non est nominandus magnus. Nam in Capitulo de negotiis fruuntur solummodo voto consultivo. De facto in Capitulo generali ipsi soli Praelati locum decisivum occupant.

DE CRUCIGERIS

I. DE REGIMINE CONVENTUS

Crucigeri Hollandiae assumpserunt ex Ordinibus monasticis et ex Ordine Praedicatorum quandam autonomiam singulorum Conventuum; quae autonomia sese manifestavit in iure recipiendi novitios, eligendi Priorem, administrandi propriam rem familiarem. Etsi Ordo non tenuit stabilitatem, tamen loco ipsius viguit « conventus nativus », in quem quis ingressum fecerat et cui per vincula iuridica ligatus fuit. Usque ad finem saec. 18 admissio ad professionem indiguit permissione Abbatis generalis aut Visitatoris et canonicorum ipsius conventus nativi. Capitulum generale a. 1629 instituit novitiatus communes, sed singuli conventus opposuerunt resistentiam.

Crucigeri votum *oboedientiae* directe emiserunt Generali, cui consequenter competiit ius transferendi canonicos. Iura capitularia praecipua, solum clericis in sacris competentia, fuerunt: admissio novitiorum ad professionem, electio Prioris et Deputati ad Capitulum generale. Iure passivo pro electione Prioris omnes sodales gavisi sunt, excepto subpriore et procuratore monasterii principalis Huy. Priores electi sunt ad vitam, sed occasione visitationis canonicae aut Capituli generalis petierunt amotionem ab officio, quae tamen solum ex causis in iure praevisis locum habuit.

Unusquisque conventus gavisus est autonomia in administrandis bonis temporalibus. Prior, administrator in temporalibus nominavit cum consilio Seniorum oeconomum. Ad Capitulum generale vocandi erant Priores et ex a. 1446 rectores parvorum conventuum, et socii seu Deputati.

Occasione restaurandi Ordinis circa a. 1850 autonomia conventuum graviter limitata fuit in favorem supremi regiminis; nam consentientibus Prioribus singulorum Conventuum massa bonorum communis creata est et a. 1855 Generali Ordinis facta est facultas « disponendi de personis (excepta personarum missione ad partes transmarinas), et rebus per totum ordinem prout cuique conventui videbitur expedire ordinisque necessitas aut utilitas exigere ». Statuta a. 1925 concedunt, prout hucusque, conventui electionem Prioris, sed munus post triennium expirat, data facultate electionis ad secundum triennium. Singuli Conventus ad Capitulum generale duos Procuratores eligere possunt, gaudentes iisdem iuribus ac Priores. Duo ex quattuor Consiliariis Prioris a canonicis eliguntur.

II. de regimine provinciae

Iam sub finem saec. 14 plures conventus eiusdem regionis quandam unionem inierunt, sed divisio in provincias proprie dictas resultat ex prima parte saec. 17; numeratae sunt quattuor provinciae, sc. belgica, gallica, duae germanicae, quae duae a. 1677 « perpetuam unionem » creaverunt. Circa electionem provincialium per breve tempus discordia regnavit. Priores conventuum sibi ius eligendi Provincialem usurparunt, sed post quinque annos ius rediit ad Capitulum generale. Capitulum provinciale Crucigerorum numquam illud momentum obtinuit, prout in aliis Ordinibus. Statuta a. 1925 non amplius cognoscunt divisionem Ordinis in provincias.

III. de regimine ordinis

Primis Ordinis temporibus Capitula generalia singulis annis celebrata sunt; sub initium saec. 17 tamen solum singulis trienniis,

tandem ex a. 1774 singulis tantum sexenniis. Membra capituli generalis fuerunt Priores, rectores parvorum conventuum, socii seu procuratores conventuum. Circa electionem Magistri Generalis quidam influxus ex Constitutionibus Cisterciensium et Dominicanorum regnasse videtur. Per saecula monasterium princeps Huy maiorem numerum votorum sibi acquirere studuit. Ex novo iure Statutorum Magister generalis eligitur ad vitam. Compositio Capituli generalis iuxta nova statuta haec est: magister generalis, quattuor Definitores, Procurator generalis, magister novitiorum, quinque professores, Priores singulorum conventuum, duo Delegati ex unoquoque Prioratu. In Ordine Crucigerorum tum in regimine totius Ordinis tum in gubernatione singulorum conventuum subditi notabilem partem habent.

DE CONGREGATIONE WINDESEMENSI

I. DE REGIMINE CONVENTUS

Congregatio Windesemensis constabat ex conventibus sui iuris cum iure eligendi superiorem, instituendi proprium novitiatum, administrandi bona temporalia. Voce activa pro electione Superiorum gavisi sunt omnes Canonici, etsi nondum in sacris. Notanda est haec norma: canonici, qui per longius tempus aut perpetuo exceptionibus a disciplina regulari gavisi sunt v. g. qui propter debilitatem horis regularibus conventualiter absolvendis perpetuo interesse nequivernat, neque vocem activam neque passivam obtinere poterant.

Capitulum locale sua iura exercuit in admissione ad novitiatum, ad professionem, in alienationibus faciendis etc. Primitus locale capitulum convocatum fuit singulis mensibus, postea « semel circa quatuor festivitates principales ad commune colloquium, ad conferendum de observanciis Ordinis ac aliis quibuscumque utilibus et necessariis ubi quisque ad iussionem Prioris libere proponere potest, quid pro observancia vel emendacione communis status et qualibet utilitate excogitaverit ». Quamvis ordinarie maioritas absoluta causam deciderit, tamen in admissione sacerdotum et illegitimorum duae ex tribus partibus requisitae fuerunt. « Causas minus arduas absolvit Prior cum suo Consilio. Comparando normas huius Congregationis cum aliis religiosis communitatibus, dicendum, quod autonomia singulorum conventuum in materia decisiva ampla cum mensura conservata est; etiam subditi in capitulis localibus magna auctoritate gavisi sunt, considerato iure omnium professorum, etsi non in sacris, participandi sessionibus capitularibus.

II. DE REGIMINE CONGREGATIONIS

Congregatio Windesemensis fuit unio conventuum, qui ex Conventu Windesemensi nati sunt vel ipsi aggregati. Unde Prior huius conventus fuit etiam superior totius Congregationis. Ipsius electio primitus facta est a Conventu solo, advocatis duobus Prioribus praesidentibus electioni ipsamque confirmantibus; postea tamen quattuor Priores advocandi erant. In Capitulis generalibus quaestio de constituendo « Priore superiore » (= Magistro generali) iterum atque iterum discussa fuit; tandem quaestio proposita fuit S. Sedi. Gregor XIII in Bulla « Aeterni pastoris vices » de 16. XII. 1573 quaestionem sequenti modo solvit: « Quo vero iam ad extirpationem viciorum opportunis remediis appositis procedatur, ut loco Prioris Superioris, qui idem fuit Prior Monasterii Windesemensis dicti Ordinis,... habeant Priorem Generalem, qui nullius proprii Monasterii sit Prior, sed ab aliis curis liber toti Congregationi vacare ac intendere valeat, cum impossibile sit ut aliquis proprium Monasterium regere et tam magnam Congregationem et latissime inter se dissitam utiliter possit administrare. Ille vero Prior generalis, qui singulis trienniis mutabitur, quamquam primo triennio exacto continuari poterit, non autem secundo eligetur, prima vice ab omnibus Prioribus in Capitulo generali huiusmodi tunc praesentibus, deinceps vero a solis patribus Diffinitoribus, adiunctis semper dicti monasterii Windesemensis etiam Superiore et fratre a conciliis sive Arcario, dummodo contingat electionem celebrari in eodem Monasterio Windesemensi et non aliter ».

Sed hoc Decretum non fuit exsecutioni datum. Immo Capitulum Leodiense a. 1608 statuit: « quod futurus generalis sive Prior domus Capitulive Windesemensis una cum administratione generalatus manere debeat prior domus seu conventus, cui ante praeerat ».

Alia quaestio frequentius in Capitulo disputata ventilavit durationem officii pro Priore superiore. Ad instar principii Capitulares pro electione ad vitam steterunt, sed postea hoc compromissum fecerunt: « Prior generalis singulis trienniis officio generalatus defungitur, sic tamen ut sequenti triennio, vel diutius per Capitulum generale continuari valeat ».

Iura Prioris Superioris extra Capitulum generale sat ampla fuerunt; Capitulum generale a. 1616 sequentem normam tulit: « amplissima autoritas et potestas in capite et membris, iudicandi causas tam civiles quam criminales, ligandi et absolvendi, ex causis iustis deponendi priores, evocandi fratres commissarios, procuratorem generalem ». Utique ipse non gavisus est absoluta potesta-

te, sed obligatus fuit pro certis materiis ad consensum aut consilium sui Consilii.

Primis temporibus Capitulum generale singulis annis celebratum fuit; saeculo XVII autem singulis trienniis; ex a. 1763 singulis sexenniis. Capitulo interfuerunt primitus tum priores conventuum tum conventuales Windesemenses. Potestas in Capitulo resedit in Definitorio, composito ex Priore Superiore et duodecim prioribus. Vim iuris habuit, quod placuit parti absolute maiori; ita fieri potuit, ut Prior Superior suffragiis Definitorum victus fuerit. Capitulum generale praeter electiones sese occupavit cum condendis et mutandis Statutis, cum componendis litibus intra Congregationem, cum invigilandis Prioribus, cum adiuvandis conventibus ad miseriam deductis; sed bene notatur: antequam assistentia Capituli invocetur, ipsa domus primum quoad poterit tolerabiliter suis sese defendat impendiis.

Iuxta I. evolutio iuris in hac Congregatione simili gressu processit ac illa Carthusianorum; nam in utraque membra conventus principalis notabilem influxum in ipsum regimen Ordinis obtinuit: sed conventus Windesemensis vi mutatae constitutionis, qua munus superioris generalis separatum fuit ab illo Prioris localis et consequenter crescens potestas Definitorii et Priorum quasi per totum exclusus remansit a regimine ipsius Ordinis.

ALIAE CONGREGATIONES CANONICORUM REGULARIUM

Ultimo loco I. tractat de quibusdam aliis Congregationibus Canonicorum regularium v. g. de Canonicis Marbacensibus, de canonicis Bavariae, de monasterio de Beilberg. Nostrum interest proponere lectoribus, quae I. disserit de Canonicis *Lateranensibus*.

I. DE REGIMINE CONVENTUS

Statuta Canonicorum Lateranensium, prout saec. 15 viguerunt in Italia, pro administranda re familiari nominaverunt et depositarium et administratorem bonorum temporalium. Constitutiones saec. XVII hanc, forsan unicam in iure Religiosorum normam statuerant: si in admissione ad professionem novitius obtinuerat mediam partem votorum — aequalitas votorum —, censebatur admissus hac ex ratione: « quia gratiae sunt ampliandae ». Novae Constitutiones ex a. 1926 concedunt capitulo conventuali votum decisivum pro admissione candidati ad postulatum, ad novitiatum, ad primam professionem; pro hac requiruntur duae ex tribus partibus. Administrator bonorum temporalium eligitur ad triennium a Conventu; abbati tamen competit ius proponendi candidatum. Qui ad-

ministrator singulis mensibus coram Praelato et duobus a Conventu electis « Discretis » rationem administrationis reddere debet. Ampla iura Conventus elucent ex monitione Praelatis data: « Nullus praelatus audeat suarum canoniarum negotia maioris momenti sine consensu proprii capituli definire, quinimo, si agatur de gravioribus duo requiruntur capitula distincta inter quae biduum saltem intercedat necesse est ». Membra Capituli localis sunt omnes canonici in sacris, quos Praelatus saltem semel in mense convocet. Canonici annuente Praelato sua desiderata proponant. Conventus post liberam discussionem per vota secreta decisionem fert; causa habetur decisa per maioritatem votorum absolutam. Ius eligendi magistrum novitiorum et lectores competit soli Capitulo generali.

II. DE REGIMINE CONGREGATIONIS

Lateranen. IV in c. 7. X. III. 35 de statu monachorum et canonic. reg. statuerat in singulis regnis sive provinciis de triennio in triennium capitulum Abbatum atque Priorum proprios abbates non habentium, qui non consueverunt tale capitulum habere, celebrandum; quoad canonicos regulares Concilium monuit: « hoc ipsum regulares canonici secundum ordinem suum volumus et praecipimus observare ». Ex contextu elucet illas provincias esse sumendas in sensu politico et hierarchico, non in sensu provinciarum Ordinis. Sed Bened. XII in Bulla « Ad decorem Ecclesiae » 15 maii 1339 singulas canonias univit in viginti duabus provinciis et applicavit ad has provincias Decretum Lateran. IV. Non singulis autem trienniis, sed qualrienniis conventus abbatum celebrandus erat. Ex saec. 15 apud canonicos Lateranen. invaluerat consuetudo advocandi ad capitulum generale singulis trienniis celebrandum unum a Conventu electum Delegatum « quique in Generali Capitulo vocem habeat in omnibus electionibus et determinationibus, quas per ipsum Generale Capitulum fieri continget... Eius munus erit, Litteras Monasterii aut particularium illius personarum Generali Capitulo directas ferre et negotia proprii Monasterii et personarum sibi commissa fideliter tractare ». Plurima et gravissima negotia absolvere consueverunt novem Definitores electi pro toto cursu Capituli; qui examinaverunt petitiones ad Capitulum missas et causas deciderunt; porro elegerunt Praelatos, confessarios monialium; tandem admiserunt candidatos ad novitiatum; sed « in novis constitutionibus faciendis aut antiquis mutandis debebunt expectare definitivam totius Capituli Generalis sententiam ». Auctoritas ipsius Abbatis Generalis per Capitulum generale

et per quattuor a Capitulo electos Visitatores sat limitata fuit. « Abbas generalis nihil agere poterit supra id, quod a Capitulo generali illi concessum fuerit, et cum assensu Visitatorum, qui ei tamquam Socii a Capitulo Generali adiunguntur ».

Novae Constitutiones a. 1926 non permittunt singulis canonicis mittendos Delegatos ad Capitulum generale, quod ordinarie singulis sexenniis celebrandum erit. Votum habent omnes abbates « sive regimen habentes sive illo careant » necnon officiales Congregationis. Qui eligunt abbatem generalem, officiales Congregationis, superiores locales, magistrum novitiorum, lectores.

Evolutio iuridica in Congregatione canonicorum Lateranen. eo pervenit, ut plura principia vigentia in diversis canonicorum Congregationibus renuntiata sunt; notes v. g. exclusionem totalem subditorum a Capitulo generali et ab electione Superiorum. In ipso tamen Conventu canonici gaudent magno influxu, imprimis circa administrationem bonorum temporalium.

DE ORDINE CARMELITARUM

Sub respectu historico haec ex tractatu I. notanda veniunt: de origine et de aetate Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo nondum plene constat. Ex documentis primae partis saec. 13 cum certitudine erui poterit: Ordo sese evolvit in Monte Carmelo sub finem saec. 12 ex colonia Palaestinensi Eremitarum. Qui ad imitationem Eliae prophetae vitam solitariam et contemplativam duxerunt, et ad maiorem partem Latini fuisse videntur residui ex tempore Cruciatuum. Iuxta rubricam Capituli generalis a. 1324 Albertus patriarcha Hierosolymitanus Eremitas in unum corpus redegit ipsisque ante Concilium generale Lateran. IV (a. 1215) dedit regulam. Albertus, natione Italus, fuit primo canonicus regularis et postea episcopus Vercellen., tandem patriarcha residens in civitate Accon (1205-1214). Regula circa a. 1209 Priori Brocardo et fratribus in Monte Carmelo data prae se fert indolem orientalem, in specie regulam S. Basilii. Cum Ordini vi Decreti Lateran. IV. periculum suppressionis immineret, consilium datum fuit supplicandi approbationem S. Sedis, quae data est per Bullam « Ut vivendi » 30 jan. 1226; sed tres annos post Greg. IX. in C. « Ex Officii nostri » statuit: « Auctoritate praesentium districtius inhibemus, ne in proprietatem de cetero heremi vestrae loca vel possessiones seu domos aut reditus alios recipiatis

nullo modo vel praesumatis habere, praeter asinos masculos et aliquod animalium seu volatilium ad nutrimentum ». Post obtentam approbationem fratres de Monte Carmelo fundarunt plures conventus in Palaestina, ex quibus currente saec. 13 expulsi sunt ab infidelibus. Ultimi conventus sc. illi de Accon et de Monte Carmelo perierunt a. 1291. Solummodo a. 1631 Carmelitae discalceati reversi sunt in Palaestinam. Iam ante suppressionem in Oriente Ordo diversas fundationes perfecerat in Cypro, Sicilia, Gallia, Anglia, ubi fratres a. 1247 primum Capitulum generale occidentale celebrarunt et Simonem Stock elegerunt priorem generalem (1247-1265), qui Ordini firmam structuram, Ordini utilissimam, dedit.

Petente Simone Innoc. IV a. 1247 mitigavit regulam in pluribus punctis, imprimis circa ieiunium et paupertatem concessitque per C. « quae honorem Conditoris » 1. X. 1247: « Loca habere poteritis in eremis vel ubi vobis donata fuerint ad vestrae religionis observantiam apta ». Capitulum generale 1287 refert novem provincias, illud a. 1324 iam quindecim. Schismate occidentali a. 1378 exorto Ordo sese divisit in duas « Oboedientias » cum proprio Priore generali, cum proprio Capitulo generali, cum propriis Statutis. Alex. V per C. « Cum nuper » 1410 nominavit Ioannem Grossi supremum caput totius Ordinis usque ad subsequens Capitulum generale; Grossi de novo a Capitulo confirmatus regnavit usque a. 1430. Per condiciones in Ordine regnantes tum Eug. IV per C. « Romani Pontificis » de 15 febr. 1432 tum Pius II. a. 1459 moti fuerunt ad concedendam dispensationem circa abstinentiam et ieiunium et facultatem « libere et licite » commorandi extra cellam. Super fundamentum regulae mitigatae et strictioris saec. 15 et 16 plures Congregationes reformatae originem sumpserunt. Circa a. 1600 status Ordinis hic fuit: 30 provinciae, c. 700 conventus et 12.000 sodalium; c. a. 1765: 46 provinciae, c. 800 conventus, c. 15.000 membrorum; sub finem saec. 18 numerus provinciarum ascendit ad 54. Provincia anglica fuit suppressa a. 1540; eversio rerum publicarum in Gallia suppressit omnes provincias; in Belgiis remansit unus conventus. Ordo a. 1946 numeravit 18 provincias, 158 conventus, 1700 sodales. Conventus florentissimi sunt in Statibus Unitis Americae et in Hollandia.

Unicus ramus reformatus, qui omnibus ramis reformatis superstes fuit, est ramus S. Teresiae et S. Ioannis a Cruce. Qui ramus sese evolvit ad independentem Ordinem Carmelitarum Discalceatorum. Datis difficultatibus inter fratres reformatos et non reformatos Gregor. XIII permisit per Breve 22. 6. 1580 propriam pro Discalceatis formandam provinciam. A. 1582 Reformati numerabant 300 regulares et 200 moniales in 15 resp. conventibus. Discalceati obtinuerunt plenam independentiam in Capitulo totius Ordinis gene-

rali Cremonensi 1593, confirmatam a Clem. VIII die 20. 5. 1593. Prior generalis nominatus fuit Doria, hucusque vicarius generalis Discalceatorum. Controversia circa fundationes conventuum extra Hispaniam causavit ex mandato Clem. VIII a. 1597 creationem domus « Santa Maria della Scala » in Urbe et a. 1600 creationem Congregationis Italicae Carmelitarum Discalceatorum a S. Elia, quae a. 1617 iam sex provincias numeravit. C. a. 1780 ramus Hispanicus gavisus est decem provinciis; qui ramus vi eversionis rerum publicarum in Hispania exstinctus est. Ex mandato Pii IX de 2 febr. 1875 monachi superstites Congregationi Italicae se adscribere debuerunt. A. 1947 Ordo Carmelitarum Discalceatorum complexus est 27 provincias et viceprovincias cum 280 conventibus et c. 3000 sodalium sexus virilis, superans duplo Ordinem antiquae Observantiae.

DE REGIMINE CONVENTUS

Regula a Patriarcha Alberto Hierosolymitano data a. 1209 Eremitis « iuxta fontem Eliae in Monte Carmeli » Caput fraternitatis fuit prior electus « ex unanimi omnium assensu vel maioris et sanioris partis ». Assignatio cellae pro singulis fratribus facta est a priore « de consensu aliorum fratrum vel sanioris partis ». Ecce unica haec duo fratrum iura! Sed antiquissimae nobis notae Constitutiones editae a. 1324 in Capitulo Barcinonen. generali exhibent perfectam constitutionem Ordinis centralizati ad exemplar Ordinum Mendicantium, imprimis Praedicatorum. Vi harum Constitutionum regimen conventus habuit prior; eo absente subprior resp. vicarius. Conventus gavisus est sequentibus iuribus: eligendi subpriorem, si conventus saltem tredecim monachos numeravit, porro sacristanum necnon tres fratres, assistentes priori in administratione bonorum temporalium, tandem socium prioris ad capitulum provinciale ituri. Electio prioris conventualis originarie pertinuit ad Capitulum provinciale, sed decursu temporis sese formavit consuetudo eligendi priorem a conventu, saltem in quibusdam monasteriis. Capitulum generale a. 1564 hanc consuetudinem intactam habere voluit. Capitulum autem generale a. 1593 distinxit ius eligendi priorem in magnis et parvis conventibus, in monasteriis immediate Priori generali subiectis aut pertinentibus ad provinciam. Sed a. 1680 Prior generalis Ordinis reformati ordinavit, quod deinceps subpriores, sacristae, procuratores singulorum conventuum eligentur a Definitorio eodem plane modo, quo priores. In Ordine Discalceatorum usque nunc prior eligitur a Capitulo provinciali, subprior a Definitorio provinciali; procurator autem a priore cum suo Consilio, quod componitur ex tribus « Discretis »; unus proponendus nominandus a Definitorio provinciali, alii duo a conventu eligendi.

Quod attinet electionem Deputati ad Capitulum provinciale vigentes Constitutiones Discalceatorum sic distinguunt: « Sunt enim Prioratus eae domus, ubi sex ad minus Patres, voce activa et passiva gaudentes, permanenter degunt; illae vero domus, ubi sex saltem degunt Religiosi professi, quorum quinque vel quattuor tantum sint Patres Capitulares, Vicariatus vocabuntur; ceterae denique domus sunt Residentiae ». Prioratus et Vicariatus gaudent iure eligendi Deputatum ad Capitulum provinciale. Sodales Residentiarum aut attribuuntur aliis conventibus, aut in regionibus vere longinquis capitulares possunt concurrere ad electionem socii per schedulas epistolis transmissis, modo a Definitorio generali praescribendo.

Conventus *antiquae observantiae* gaudent sub nominato respectu maioribus iuribus. Capitulares iure activo gaudentes eligunt subpriorem, sacristanum, procuratorem. Porro conventus pro numero Capitularium eligunt unum, duos, tres consiliarios; hisce accedunt consiliarii quasi nati: sc. illi monachi, qui fuerunt magistri novitiorum, aut professores philosophiae aut theologiae, qui certo tempore functi sunt suo munere; tandem ex-provinciales et magistri sc. theologiae. Unusquisque conventus, qui gaudet saltem tribus capitularibus, eligit socium prioris pro capitulo provinciali. Minores conventus Praesidi Capituli Provincialis in scriptis suas querelas manifestare possunt. Munus socii hoc est: « a Fratribus recipere et in scriptis Capitulo exhibere non solum propositiones pro bono suae communitatis vel Provinciae, sed etiam accusationes de culpis notabilibus sufficienter probatis sive contra Priorem sive contra alium quemlibet de gremio Capituli ». In conventibus cum novitiatu conventus dat suffragium de candidatis ante admissionem ad postulatum, novitiatum, necnon tribus vicibus durante novitiatu; suffragium conventus pro admissione ad vota temporaria est deliberativum; votum consultivum conventus dat etiam pro admissione ad vota solemnia et ad ordines. Etiam ante collationem graduum academicorum « testimonium habeatur Conventus studiorum de sedulitate et curis adhibitis in instruendis Studentibus nostris ». Prior in multis casibus tenetur ad consilium consiliariorum aut conventus recipiendum aut consensum habendum. Procurator singulis mensibus coram priore ipsiusque consiliariis rationem reddere debet de administratione rerum temporalium. Paucis dicendum: Carmelitae antiquioris Observantiae gaudent in Ordine maioribus iuribus quam Discalceati: cogites electionem officialium, influxum in recipiendis novitiis et approbandis graduandis; insuper omnes capitulares singulorum conventuum saltem indirectum influxum in administrationem bonorum temporalium per electionem consiliariorum priori assistentium.

DE REGIMINE PROVINCIAE

Iuxta antiquissimas Constitutiones in Capitulo provinciali singulis annis celebrando praeter membra ex officio vocata partem habuit socius a singulis conventibus eligendus. Capitulum provinciale ea omnia absolvere debuit pro provincia, quae a Capitulo generali pro toto ordine expedienda erant. Electio novi provincialis a pleno Capitulo instituta est cum pluralitate suffragiorum absoluta. Provincialis cum suo Definitorio non solum priores conventuales punire, sed etiam deponere potuit. Provincialis in regenda provincia aut consilium aut consensum aliorum v. g. prioris generals, capituli provincialis aut sanioris eiusdem partis habere debuit; insuper pro administrandis bonis temporalibus tres fratres ipsi adiuncti sunt; tandem a Capitulo provinciali ipsi assignatus perpetuus socius. In Ordine Discalceatorum provincialis ipse elegit sibi socium, « qui tamen, ex eo praecise, quod socius est, nullibi ius habeat ferendi suffragium »; in Ordine antiquae Observantiae provincialis nominavit socium « de consilio Definitorum ».

Discalceati celebrant singulis trienniis Capitulum provinciale, cui assistunt praeter membra ex officio vocata Deputati conventuum et vicariatuum.

Nostris temporibus etiam Carmelitae antiquae Observantiae celebrant singulis trienniis Capitulum provinciale cuique praeter sat multos sodales ex officio vocatos etiam Deputatus unus a singulis conventibus electus. Uterque ramus Ordinis concedit subditis ius eligendi Deputatum pro Capitulo provinciali. Si respicimus relative maiorem numerum Capitularium non a conventibus electorum in Ordine antiquae Observantiae et locum gravem, quo fruitur Definitorium, elucet influxum subditorum in Capitulo provinciali debiliorem esse quam in Discalceatis. Sed in utroque ramo cognosces antiquissimum Ordinis Praedicatorum influxum.

DE REGIMINE ORDINIS

Praetereundo antiquissimas et antiquas Constitutiones circa Capitulum generale eiusdemque potestatem respicimus primo Ordinem Discalceatorum. Ipsi celebrant singulis sexenniis Capitulum generale ordinarium. Praeter membra ex officio vocata partem habent Deputati in Capitulo provinciali electi et pro terris Missionum « procuratores Missionum ». Circa potestatem legislativam Constitutiones hanc subministrant normam: « In Capitulis ergo Generalibus... bifariam leges condentur: aut enim ferentur ad tempus per experimentum probandae, et hae Ordinationes appellan-

tur; aut leges ferentur perpetue observandae, et hae Constitutiones vocabuntur ». « Ordinatio » characterem « Constitutionis » obtinet, si in tribus subsequentibus Capitulis confirmatur; in primo duae ex tribus partibus suffragiorum receptioni Ordinationis favere debent; in secundo et tertio tres ex quattuor partibus votorum sub hac condicione: « quod si in quocumque ex praedictis Capitulis non approbetur statim eo ipso expiret ». Quae normae in memoriam revocant Statuta Ordinis Praedicatorum.

Carmelitae antiquae Observantiae item singulis sexenniis celebrant Capitulum generale essentialiter eodem modo ac Discalceati; sed vocandi insuper « Priores Transpontinae, Neapolis et Drepani ». I. censet: probabiliter agitur de conventibus, qui immediate priori generali subiecti sunt. Quod attinet Capitulum de negotiis tractandis normae in antiqua Observantia statutae sunt multo generaliores quam in Discaleatis; norma generalis haec est: post electionem capitulares conveniant « tuncque simul congregati studiose inquirant ac decernant quae ad moderandos mores, ad corrigendos abusus, ad controversias componendas, ad unam eandemque disciplinam servandam vel inducendam opportuna videantur ».

Tandem I. notat: uterque ramus systema electionis cum Deputatis ab Ordine Praedicatorum saec. 13 receptum, exceptis quibusdam varietatibus, usque ad nostra tempora observavit. Uterque tandem ramus eadem fere tenet principia circa ius subditorum influendi per sua suffragia in decisiones Ordinis.

DE ORDINE EREMITARUM S. AUGUSTINI

Conspectus historicus.

Ordo Eremitarum S. Aug. debet suam originem studio Innoc. IV (1243-1254) exsecutioni dandi cap. 13 Lateran. IV. circa limitationem et unionem Ordinum. Iam primo pontificatus sui anno per C. « incumbit nobis » de 12 dec. 1243 statuit pro omnibus Tusciae Eremitis: « in unum vos regulare propositum conformantes, Regulam beati Augustini et Ordinem assumatis ac secundum eum profiteamini de cetero victuros, salvis observantiis seu constitutionibus faciendis ex vobis ». De primis nascentibus Constitutionibus Georgi Antonius in « Analecta Augustiniana » I p. 109-117 scribit: « Sic itaque de re gesta statuendum arbitror: Clemens de Auximo anno circiter 1270 quo primum tempore Prior Generalis erat, socium et adiutorem in reficiendis Constitutionibus sibi adiunxit. Hae constitutiones renovatae dicuntur anno 1274 in Capitulo generali Molariae in castro Cardinalis Ricardi, quia refectae et melius or-

dinatae opera Clementis et Augustini tunc primum Patribus Ordinis fuerunt expositae, sed non examinatae, neque publica auctoritate receptae. In eodem statu perseverarunt, donec secundo ad Augustinianae Familiae regimen vocatus Clemens in Urbevetanis a 1284 publico totius Ordinis examini et iudicio subiecit. Idem rursus praestitit in generali Capitulo Florentiae celebrato a. 1287. Tertio tandem in Ratisponensi Capitulo a. 1290 a Patribus omnibus consecutus est, ut vim publicae auctoritatis Constitutionum suarum opus haberet ». Idem auctor invenit similitudinem harum Constitutionum cum illis Praemonstratensium. I. autem censet: fons Constitutionum in Ordine Praedicatorum et Augustinianorum videtur esse Ordo Cisterciensis. Nam de primo ipsorum Capitulo in Urbe celebrato a. 1244 refertur: Capitulum edidit plures Constitutiones « de consilio *Cisterciensium* (i. e. abbatum de Fallera et Fossanova) ».

Innoc. IV opus continuatum fuit a suo successore Alex. IV (1254-1261). Qui Cardinali Richardo, Protectori Eremitarum S Aug. in Tuscia mandavit, ut reliquas Uniones Eremitarum saec. 13 in unum Ordinem sub communi Superiore generali redigeret. Cardinalis convocavit ad hoc in Urbem Deputatos quinque Congregationum existentium; nam, ut notat Alex. IV in Bulla « licet Ecclesiae » de 4. 5. 1256, quaedam domus « S. Guillelmi, quaedam S. Augustini Ordinum, nonnullae autem fratris Ioannis Doni, aliquae vero de Fabali, aliae vero de Britinis censebantur et apud homines ambiguis interdum nuncupationibus vacillabant ». Conventus Deputatorum gavisus est successu; nam una cum Eremitis Tusciae novus Ordo formatus et divisus in quattuor provincias, sc. gallicam, hispanicam, germanicam, italicam. Alex. IV approbavit Ordinem et Cardinalem Richardum constituit protectorem. Quae quattuor provinciae tam fertiles erant, ut historia ipsarum in hisce paginis evolvi nequeat; sed sic dictae Congregationes reformatae breviter commemorandae sunt. Prout apud Fratres Minores et Carmelitas aliosque Mendicantes saec. 14 reformatio quaedam visa est necessaria, ita etiam in Ordine Eremitarum. Tali reformandi studio ortum sumpserunt tredecim reformatae Congregationes. Etsi inter se sat diversae erant, tamen collective vocati sunt « Observantes »; non reformati vocabantur « Conventuales ». Duae ex his Congregationibus reformatis novissime constitutae sunt in proprium Ordinem; sc. Congregatio Recollectorum et Eremitarum Excalceatorum. Recollecti Hispaniae sub finem saec. 16 sese univerunt in propriam provinciam cum proprio provinciali. Quae provincia a. 1622 induit statum Congregationis iuridicum cum quattuor provinciis Castiliae, Aragoniae, Andalusiae, Insularum Philippinarum. Caput sese nominavit Vicarium generalem remansitque in certis

punctis dependens a Priore generali Eremitarum. Vi Brevis Pii X « Religiosas familias » de 16. 9. 1912 Recollecti S. Aug. efformant proprium Ordinem sub Priore generali Matriti residente. A. 1915 Ordo numeravit 882 sodales et 100 domos in provinciis insularum Philippinarum, Columbiae, Andalusiae.

Ad instar Carmelitarum Disalceatorum sese evolverunt Eremitae Excalceati. Sub finem saec. 17 in Italia gavisi sunt octo provinciis cum 75 conventibus. Qui ab initio erant satis independentes, hodie efformant proprium Ordinem; ipse reponit suam originem ad a. 1592-1599; tempus approbationis pontificiae assignatur a. 1610-1620.

DE REGIMINE CONVENTUS

Iuxta antiquissimas Constitutiones a. 1284-1290 Capitulum Conventuale gavisum est iure eligendi Subpriorem aut in parvis conventibus Vicarium, procuratorem, sacristanum. Qui tres officiales vi Constitutionum a. 1686 a Definitorio in Capitulo provinciali eligendi erant; Capitulum conventuale recepit ius eligendi duos « Depositarios », qui una cum Priore arcam nummerariam administrabant. Conventus elegit Deputatum (« Discretum ») pro Capitulo provinciali. Electio prioris conventualis pertinuit ad Definitorium in Capitulo provinciali; sed Capitulum conventuale potuit petere depositionem prioris et Definitorio provinciali elenchum idoneorum candidatorum proponere; Definitorium debuit unum ex hisce eligere. Textus sic sonat: « Et in petitione eorum successive plures ponant, et quod si de primo quem sibi omnino dare debet non potest satisfieri eis, utputa quia forte ad curam animarum ex aliqua rationabili causa non potest assumi, vel forte quia a maiori et digniori loco petitur in priorem... satisfiat eius de secundo... Hoc tamen prae omnibus observato, ut semper ille detur qui ab omnibus concorditer vel a maiori parte eis petitur in priorem ». Statutis a Definitorio non observatis ius eligendi priorem devolvitur ad Conventum. Statuta a. 1926 concedunt vocem activam pro electionibus solummodo sodalibus post elapsos tres annos a professione votorum solemnium et a finitis studiis theologicis. Conventuales mittunt Deputatum ad Capitulum provinciale. Priori a Capitulo provinciali assignantur duo vel quattuor « Deputati ex gravioribus et magis expertis patribus », quorum speciale officium est vigilandi de administrandis bonis temporalibus a sacristano et procuratore. Novissimae Constitutiones limitant ius passivum pro eligendo Discreto ad Capitulum provinciale; ius vigens postulat professionem a decem annis emissam, antea octo, pertinentiam ad provinciam ex quinque annis, et commorationem per annum continuatam in respectivo Conventu.

Capitulum conventuale Excalceatorum componitur ex sacerdotibus post tres annos votorum solemnium. Ad competentiam huius Capituli pertinet admissio ad novitiatum, ad primam et solemnem professionem, ad s. ordines, ad approbationem confessariorum et praedicatorum; porro electio trium Seniorum, duorum examinatorum pro examinandis postulantibus et Discreti pro Capitulo provinciali et, dato casu, etiam generali. Insuper Conventus gaudet amplo iure circa administrationem bonorum temporalium. In minoribus conventibus, qui non numerat quattuor vocales, omnes sunt ipso iure Seniores. Ad electionem Discreti pro Capitulo provinciali, et « si ex peculiaribus circumstantiis Provinciae omnes sint suspensae », etiam generali, omnes conventus sunt competentes, si praeter priorem exhibent saltem tres vocales.

DE REGIMINE PROVINCIAE

Antiquissimis temporibus Ordinis singulis annis priores conventuales et Discreti a Conventibus electi convenerunt ad Capitulum provinciale, praeside Vicario generali, probabiliter nominato a Priore generali. Quod capitulum elegit, si necessarium, provincialem, confirmandum a Priore generali, quattuor Definitores, unum vel alterum procuratorem pro bonis provinciae administrandis, duos visitatores provinciae et duos discretos pro futuro Capitulo generali. Definitores provinciales, saltem cum relativa maioritate electi « de corpore Capituli », una cum Vicario generali exercuerunt omnem potestatem in Capitulo provinciali. Sed Definitores Capituli provincialis, visitatores, Discreti provinciae pro Capitulo generali non poterant amplius eligi in futuro Capitulo. Pro priore certum regiminis tempus non fuit provisum, sed valuit regula generalis: « removendi enim omnino a ministratione officii sunt, quorum opera augmentum ordinis non producunt ad lucem ».

Saeculo 17 Capitulum provinciale . celebratum fuit singulis bienniis, trienniis, quadrienniis « secundum usum Provinciarum ». Compositio Capituli eadem fuit essentialiter ac antea; sed provincialis secum sumpsit socium. « Vocales ex gratia » ab Urb. VIII per C. « Alias per » de 14. 9. 1628 non amplius fuerunt admissi. Pro munere provincialis passive competens erat monachus 40 annorum et professus a saltem quindecim annis; insuper debuit prior conventualis aut « Regens Gymnasii » fuisse; « cum enim sapientes dominantur, Respublicae recte ac feliciter administrantur ». Praeter Capitulum provinciale potuit convocari singulis annis « Congregatio intermedia », formata ex novem membris Definitorii; quae Congregatio iisdem facultatibus fruebatur quibus Capitulum provinciale, « nisi quod in ea novae leges et diffinitiones pro tota Pro-

vincia minime condantur ». Ex iure vigenti Capitulum provinciale singulis trienniis convocatur; sed vi Rescripti S. C. de Rel. de 15. 12. 1925 et 16. 3. 1927 non amplius admittuntur Capitulares « ex privilegio »; solummodo exgenerales et exvicarii generales gaudent suffragio « in Provincia in qua resideant ». Pro Capitulo Generali solummodo unus Definitor generalis eligitur pertinens ad provinciam, quae illum mittit.

Etiam in Ordine Eremitarum Excalceatorum singulis trienniis Capitulum provinciale celebratur. Conventus, qui saltem tribus vocalibus sacerdotibus gaudent, possunt mittere Discretum.

DE REGIMINE ORDINIS

Antiquissimae Constitutiones a. 1286-1290 praescribunt singulis trienniis Capitulum generale celebrandum; unaquaeque provincia duos Discretos misit. Circa potestatem legislativam valuit axioma: « quod constitutio facta in uno capitulo generali robur non habeat, nisi in sequenti generali capitulo per generalem et diffinitores fuerit confirmata. Et e converso nec aliqua constitutio firmata possit annihilari vel infirmari, nisi per duo capitula generalia fuerit immutata ». Potestati coercitivae Definitorii generalis subiectus fuit ipse Prior generalis hoc ex motivo: « quia et si pater est ordinis excellentia singularis praelationis, frater tamen par voto professionis ». Primis saeculis prior generalis non gavisus est stabili Consilio; sed Clem. VIII per C. « De prospero Regularium » de 5. 7. 1593 ordinavit duos Assistentes generales in Capitulo generali eligendos, unum ex cismontanis, alterum ex ultramontanis provinciis: qui debuerunt esse sacerdotes quadraginta annorum et laureati in s. theologia. Capitulum generale 1655 auxit numerum, sc. tres pro ultramontanis territoriis et unum pro cismontanis. Ex saec. 17 Capitulum generale solummodo singulis sexenniis convocatum est: singulis provinciis competiit ius eligendi Discretos suos. Insuper priores et regentes illorum Italiae conventuum, qui immediate Priori generali subiecti erant, partem in Capitulo habuerunt, dummodo in Italia celebretur: tandem « quotquot a Rev.mo P. Generali per litteras publicas vel privatas ad praedictum Capitulum vocati fuerint ». Illo tempore Priori generali immediate subiecti erant triginta tres conventus Italiae, quattuor Galliae et unus Vindobonensis. Quoad Exgeneralem haec norma statuta fuit: « Nullus enim sine despectu Ordinis potest ad aliquod officium particulare assumi, qui multitudini praefuit universae ». Vi Decreti Pii IX de 23. 5. 1862 Capitulum generale convocandum fuit singulis duodenis annis: ex iure vigenti singulis sexenniis. Provincia aut Congregatio potuit mittere Definitorem, « dummodo tum

Provincia tum Congregatio tres Domos cum tribus saltem Sacerdotibus in unaquaque domo » habuit; ex privilegio praeter alios Abbas conventus de Brünn et prior « Regalis monasterii Escurialensi ».

In Ordine Excalceatorum constitutio Capituli generalis eodem fere modo habetur ac in Eremitis, de quibus hucusque sermo; sed capitulares « ex privilegio » non habentur. Provinciae aut Commissariatus mittunt suos « Discretos ».

I. materiam breviter astringendo censet: in Ordine S. Aug. influxus subditorum in regimen locale, provinciale, generale, est sat notabilis: notabilior in Excalceatis. Exemplar. Praedicatorum ubique deprehenditur.

DE ORDINE HOSPITALARIO S. IOANNIS DE DEO

Conspectus historicus

Ordo Hospitalarius fundatus fuit a Ioanne Cuidad (= S. Ioanne de Deo), et originem habet in pia unione virorum fundata in urbe Granaten. a. 1540 cum scopo curam infirmorum exercendi. Quae unio primo ianuarii a. 1572 a Pio V. approbata fuit tamquam Ordo regularis sub regula S. Augustini. Fratres sibi eligant, ita Pius V, in unoquoque hospitali superiorem localem ex confratribus et habeant in unaquaque domo sacerdotem sui Ordinis. Statuta a primo Capitulo generali edita a Sixto V. die 1. oct. 1586 approbata sunt. Iam a. 1592 Ordo in duas autonomas Congregationes sese divisit, sc. in Congregationem Hispanicam et Italicam, approbatas a Paulo V. a. 1611 resp. 1617. Ex anno 1878 omnes domus in unum Ordinem unitae sunt, cuius Prior generalis residet in Urbe. Numerus sodalium complectitur duo milia cum duodecim provinciis et 180 domibus.

DE REGIMINE CONVENTUS

Antiquissimae a. 1617 Constitutiones quasi integre vigentes usque ad novas a. 1926 pauca continent de influxu conventuum in regimen. Vi Decreti Alex. VII. de 10. 7. 1655 et S. C. Ep. et Reg. de 19. 9. 1677 vocales in domo novitiatus residentes decernunt per suffragia secreta de admissione novitiorum; durante novitiatu conventus tribus vicibus deliberat. Iuxta antiqua Statuta prior conventualis a Capitulo generali ad tres annos electus est, non amplius eligibilis. Singulis primis mensis dominicis prior convocet ad deliberandum conventum. Ex iure vigenti singuli triginta quinque sodales resp. triginta residui gaudent iure eligendi Deputatum pro Capitulo provinciali. Voce activa gaudent omnes professi votorum sollemnium. Sacerdotes ad instar axiomatis sunt exclusi a iure

electionis. Conventuales ante Concilium provinciale deliberant de administratione prioris.

DE REGIMINE PROVINCIAE

Antiquiora Statuta nullas speciales normas de Capitulo provinciali exhibent; nam sub initium saec. 17 divisio in provincias nondum erat plene evoluta. Secundum textum originalem Capitulo generali adfuerunt provinciales et priores conventuales; sed ex Capitulo generali a. 1666 et ex Decreto Alex. VII de 20. 3. 1667 Priores a Capitulo generali exclusi sunt, loco ipsorum adfuit pro singulis provinciis vocalis in Capitulo provinciali electus. Ex iure vigenti Capitulum provinciale singulis trienniis convocatur. Distinguuntur sodales, qui interesse debent et tales, qui invitantur sine obligatione participandi. Singulis triginta quinque sodalibus competit ius eligendi Deputatum, qui interesse debet. Notandum hoc speciale: candidati pro loco priorum conventualium a praeside Capituli proponuntur Capitularibus, qui per suffragia de singulis sententiam ferunt, quin tamen assignentur determinatis prioratibus. Quae assignatio perficitur per praesidem Capituli una cum novo Definitorio.

DE REGIMINE ORDINIS

Sub initium Ordinis Capitulo generali interfuerunt solum provinciales et priores conventuales, « per evitare le spese che si fanno in condurre seco i Compagni, attesa la povertà della Religione »; postea loco priorum interfuerunt determinati exofficiales Ordinis et provinciae et Delegatus in Capitulo provinciali electus. Circa votum passivum hoc particulare notes: capax pro loco Prioris generalis est ille, qui antea fuit provincialis aut consiliarius generalis; pro officio Consiliarii generalis ille, qui fuit provincialis aut tribus vicibus prior aut per sex annos secretarius generalis; provincialis eligendus fuit ille, qui aut duabus vicibus munere prioris functus est aut per quattuor annos secretarii generalis. Ex iure vigenti Capitulum generale singulis sexenniis celebrandum est, nisi antea prior generalis eligendus sit munere vacante.

I. tractatum concludit: ius subditorum participandi deliberationibus Ordinis est ad instar Ordinum Mendicantium. Speciale hoc est: in Capitulo provinciali singuli conventus qua tales non gaudent illo iure, sed sodales totius provinciae pro rata 35 ad 1. Unde influxus singulorum sodalium in tota provincia est aequalis. Quae aequalitas in aliis Ordinibus desideratur.

Sectionis secundae capitulum secundum tractat de principio

auctoritatis et de eiusdem limitatione in Ordinibus Clericorum Regularium.

Auctor respicit Societatem Iesu, Clericos regulares minores, Clericos regulares Pauperes Matris Dei Scholarum Piarum; tandem Congregationem Sanctissimi Redemptoris.

I. sequentem Introductionem praemittit:

Prima saec. 16 parte plures societates sacerdotales, imprimis Societas Iesu, originem sumpserunt. Quorum Ordinum structura socialis exhibet tum ampliorem evolutionem tum quandam conclusionem omnium systematum constitutivorum hucusque in Ordinibus vigentium. Nam in vitam primorum temporum eremiticam successit vita coenobitica a S. Pachomio et Basilio in Oriente instituta, quin tamen formam constitutionis iuridicam creaverint. Primus fuit S. Benedictus, qui cum ingenio iuridico suam communitatem monasticam iuxta typum antiquae Ecclesiae et familiae naturalis construxit. Ipse fundator intendit solummodo formandam monasticam familiam in se perfectam et autonomam. Qua in familia Abbas Christi vices agere creditur; unde et dominus vocatur; sed, quoties aliqua praecipua agenda sunt in monasterio, convocet abbas omnem congregationem et dicat ipse unde agitur, et audiat consilium fratrum; si autem minora agenda sunt in monasterio ,seniorum tantum utatur consilio. Quam collaborationis capitis cum membris formam receperunt Canonici regulares et monachi albi coloris saeculi undecimi et duodecimi, sed cum quadam systematis mutatione; nam saepius singula monasteria societatem inter se inierunt, cuius caput fuit Superior generalis cum auctoritate strenue centralizata. Quod Centralizationis systema Ordines Mendicantium, imprimis Dominicani et Francescani ad ultimum terminum perduxerunt. In hisce Ordinibus Superior generalis directam potestatem in omnia membra Ordinis exercuit; nam vi voti oboedientiae omnes sodales cum ipso iuridice ligati erant. Sed etiam in ipsis essentialiter potestas regiminis reservata fuit Capitulis, frequenter celebratis, intervenientibus per suos Delegatos, quandoque haud paucos, ipsis subditis.

Illud novum, quod constitutio Societatis Iesu in se continuit, non exstitit centralizatio potestatis regiminis qua talis, sed mensura stabilita in hac constitutione. Nam « praepositus generalis » constituitur ad vitam. Tota administratio in ipsius manu posita est; sed etiam in S. I. exstat quaedam forma Capituli generalis, cui nomen Congregatio generalis; quae tamen non intervallis firmiter stabilitis convocatur, sed raro, communiter pro electione novi praepositi generalis. Sed non obstante hac forma regiminis cum auctoritate monarchia potestas praepositi generalis non est plene illimitata. Nam Congregatio generalis, vices totius Societatis ge-

rens, sola est competens ad leges Ordinis proprie dictas condendas. Ipsa sola exercet potestatem iudicialem in ipsum praepositum cum facultate ipsum deponendi ex causis in Constitutione stabilitis. Ipsa Congregatio eligit pro ipso Assistentes, quorum consilium requiritur audiendum, quin tamen ulla obligatione teneatur ad eorum votum. Praepositus ipse nominat Superiores provinciales eorumque Assistentes necnon Superiores domuum maioris ponderis et momenti; superiores a provinciali nominatos ipse confirmat. Capitulum in S. I. provinciale ne a longa quidem gaudet iisdem iuribus, quibus ex. gr. Capitulum provinciale Praedicatorum. Capitulum *locale*, prout celebratur in Ordinibus S. Benedicti et S. Dominici, non habet locum in S. I. Unde tota vis regiminis residet absolute in solo capite Ordinis seu in unica persona, quae tamen coram Societate qua tali plenam de sua administratione responsabilitatem in se suscipit et quae Societas a parte sua ipsi invigilat. Constitutio S. I. tempore subsequenti magnam vim exercuit in Ordines Centralizatos; concedendum tamen est in nullo horum Ordinum principium auctoritatis tam graviter habetur expressum ac in suo prototypo.

DE SOCIETATE IESU

I. exhibet primo conspectum historicum, qui dignus est maiore expositione. Societas Iesu, ita auctor, quoad numerum sodalium est maximus et sub diverso respectu gravissimus Ordo Ecclesiae; nam pro momento pertinent ad ipsum plus quam 30.000 sodalium i. e. circa 15.000 sacerdotum, 10.000 scholasticorum, 5000 fratrum conversorum. Historiam fundationis per S. Ignatium de Loyola suppono uti notissimam; sed notandum, quod Paulus III approbando S. I. per Bullam « Regimini militantis Ecclesiae » de 29. 9. 1540 limitavit numerum sodalium ad sexaginta. S. Ignatius a. 1541 unanimiter electus Praepositus generalis usque ad mortem (1556) vacavit studio elaborandarum Constitutionum tum condendo tum corrigendo tum supplendo. Prima Congregatio generalis a. 1556 Constitutionem Ordinis, prout S. Ignatius eam composuerat, cum singulis elementis approbando accepit.

Bene notat I.: S. I. in oppositione ad alios Ordines ab initio fundationis sodales in diversas classes distinxit. Nucleum Ordinis proprie dictum efformarunt unice sic dicti professi i. e. illi sodales, qui ab ipso Praeposito ad emittenda vota solemnia admissi fuerunt. Ipsi soli voce activa et passiva gavisi sunt, capaces ad maiora Ordinis munera. Quem nucleum circumdabant sic dicti coadiutores sive clerici sive laici; in stadio formationis degerunt novitii et scholastici. Omnia membra subdita erant Praeposito generali, electo ad vitam a Congregatione generali necnon Superioribus sive pro-

vincialibus sive localibus a Praeposito nominatis. Unde forma regiminis induit characterem monarchicum auctoritatis. Postquam Paulus III. limitationem circa numerum sodalium a. 1549 abrogavit, Iulius III per Bullam « Exposcit debitum » de 21. 7. 1550 approbavit legem fundamentalem Ordinis. Quae « Formula Instituti » uti brevis summa totius legis Ordinis etiam hodiernis temporibus adhuc viget et format fundamentum pro omnibus futuris confirmationibus et privilegiis usque ad nostra tempora. Post electum Lainez in Praepositum generalem a. 1558 imposuit Paulus IV obligationem chori et electionem Praepositi singulis triennis. Sed Lainez a successore Pauli IV obtinuit statum priorem. Sed Aquaviva munere Praepositi fungens a Sisto V non leves subiit difficultates. Ipse titulum « Societas Iesu » habuit offensivum aliis Ordinibus voluitque mutare Constitutiones circa novitiatum, vota, diversos sodalium gradus etc. Sed antequam Papa suam mentem exsecutioni dare potuit, diem supremum obiit; Gregorius XIV autem de novo confirmavit Constitutiones. Sub eodem Aquaviva sodales Hispaniarum petierunt proprium Commissarium generalem tamquam intermedium inter Praepositum et singulas provincias. In vanum. Clemens VIII vero ordinavit Congregationem generalem singulis sexenniis celebrandam, sed iamiam a. 1593 suae menti renuntiavit. Innoc. X a. 1648 Congregationem generalem iussit tractare de duodeviginti punctis quae intendebant auctoritatem Praepositi debilitandam. Imprimis urgebat Papa convocationem Congregationis generalis singulis octo annis et rationem a Praeposito de administratione dandam durante Congregatione. Capitulares petierunt Congregationem ex certis causis singulis novenniis celebrandam; alia puncta uti Constitutioni Ordinis contraria reiecerunt. Innoc. X responsum Capitularium haud moleste recepit, sed quibusdam punctis insistebat et concessit electionem novi Praepositi. Congregatio generalis a. 1661 celebrata petiit a S. Sede abrogationem Decreti Innoc. X quoad mutationem Superiorum singulis triennis et egit pro abrogatione Congregationum generalium certis temporibus celebrandarum. Clemens IX suspendit Decretum Innoc. X usque ad novam Praepositi generalis electionem. Quod factum est a. 1682; sed pluralitas votorum quasi absoluta stetit pro suppressione Decreti Innoc. X. De facto tandem aliquando Bened. XIV a. 1742 Decretum abrogavit.

Secunda saec. 18 parte primo plura Gubernia suppresserunt in suis territoriis S. I., deinde Clemens XIV per Breve « Dominus ac Redemptor » de 21. 7. 1773 Societatem pro tota Ecclesia. Praepositus generalis Ricci una cum suis Assistentibus inclusus fuit in arce S. Michaelis archangeli, ubi mortuus est a. 1775. Quinque dies ante mortem solemniter declaravit: « Societas Iesu suppressa

nullam causam nullumque motivum pro suppressione praebuit... egometipse ne minimam quidem causam, ne minumum quidem motivum praebui pro mea inclusione ».

Duo principes acatholici, sc. Fridericus II, rex Borussiae et Catharina II, imperatrix Russiae, non siverunt in suis Statibus publicare Breve Apostolicum, unde Societas in dictis territoriis existere non desivit. Sodales Russiae elegerunt tribus successivis vicibus Vicarios generales. A. 1773 S. I. gavisa est 23.000 sodalium in quadraginta duabus provinciis; Russia a. 1785 numeravit 172 socios, a. 1815 autem 337. Restauratio Ordinis exsecutioni data est per Bullam Pii VII O. S. B. « Sollicitudo omnium ecclesiarum » de 7. 8. 1814. Non obstantibus vexationibus et expulsionibus S. I. in dies crescere coepit, imprimis durante longo regimine Praepositi Roothaan (1829-1853). A. 1838 Ordo laetatus est de 3067 sodalibus et a. 1914 i e. centum annos post restaurationem de 16. 894 membris. Quamvis sub initium saec. 19 quidam Italiae sodales studuerunt Ordini iuxta ideas democraticas reformando, prima post restaurationem Congregatio generalis a. 1820 celebrata declaravit: « solemniter et cum omni gravitate omnia antiqui Ordinis statuta adhuc vigere ». Quae norma adhuc valet.

DE REGIMINE SINGULARUM DOMORUM

Ad rite intelligendam constitutionem S. I., haud absque re erit notare, quae scribit I. p. 270 nota 21: membra Societatis sunt in sensu latiori et strictori sequentes personae: novitii scholastici (pro statu clericali), novitii coadiutores (= conversi), scholastici approbati post emissionem primorum votorum temporariorum, renovandorum de biennio in biennium; coadiutores temporales non formati (conversi post emissionem primorum temporariorum votorum); coadiutores temporales formati (post professionem perpetuam); coadiutores spirituales (clerici votorum simplicium perpetuorum); professi trium votorum solemnium; professi quattuor votorum solemnium. In Statutis prioribus nomine « professi » venerunt solummodo professi votorum solemnium; vigente iure vocantur professi omnes, qui emiserunt vota publica. Nucleum proprie dictum efformant illi sodales, qui praeter consueta tria vota solemnia emittunt quartum solemne, sc. votum oboedientiae specialis in Romanum Pontificem pro causa Missionum et insuper alia quinque simplicia.

Iuxta I. constitutio S. I. attingit culmen Centralizationis sub ratione legislationis particularis religiosae. Unitas et complexus regiminis, non obstante diversitate et varietate occupationis singulorum membrorum, non obstante ipsorum incorporatione in corpus Socie-

tatis, suam clarissimam expressionem manifestat in summo momento Congregationis generalis et in plenitudine auctoritatis, qua gaudet Praepositus generalis. Vis et gravitas regiminis residet consultissime in capite Societatis, ita tamen, ut principium auctoritatis in Praeposito generali ad vitam electo incorporatum habeat principalem limitem et modum tum in compositione tum in potestate Congregationis generalis. In oppositione ad Statuta plurimorum antiquorum Ordinum S. I. abstrahit a Capitulo locali. Vis Capitulo provinciali propria quasi per totum absorbetur a praeparanda Congregatione generali.

Singulae domus dividuntur iuxta earum finem circumscriptum in diversas categorias. Regimen exercetur a Superiori locali, in cuius institutionem subditi nullo fruuntur influxu. Superiores locales nominantur immediate a Praeposito generali, dummodo agatur de domibus maioribus et gravioribus; superior domorum parvarum statuitur a provinciali ex facultate sibi a Generali habitualiter communicata. Quo in casu confirmatio Praeposito est reservata. Quanta prudentia et circumpectione Superiores locales nominantur, elucet ex sequenti facto: si nominatio est reservata Praeposito, Provincialis proponit tres candidatos « adiungens informationes de singulis (nisi iam habeantur in Catalogo triennali aptorum ad gubernandum) cum suo et Consultorum iudicio ». Insuper Consultores provinciales litteris separatis et clausis referunt Praeposito de Candidatis. Modo simpliciori sese evolvit nominatio Superioris localis, si competit Provinciali; ipse cum suis Consiliariis actum perficit a Praeposito confirmandum. Superior domus professae assumendus est ex professis quattuor votorum solemnium; domus professa ea est, quae ad spiritualia Societatis ministeria exercenda destinatur. Si fieri potest, Superior domus studiorum, in qua docetur philosophia aut theologia, sit professus quattuor votorum solemnium. Superiores locales ex praxi, ut plurimum ad triennium constituuntur. Nominatio eorumdem semper Candidatorum non desideratur.

Superiori locali dantur quattuor aut pauciores Consultores, prout Superioribus maioribus videbitur, convocandi saltem bis aut semel in mense, nominandi a Provinciali. Locus Consultorum relate ad Superiorem hisce Constitutionum verbis illustratur: « In Societate, ad valide agendum numquam requiritur sive consensus, sive consilium Consultorum, praeterquam in casibus in iure exceptis, ut in dimissione sollemniter Professorum; omnibus vero Superioribus commendatur quod Rectoribus Universitatum praecipitur, ne contra unanimem Consultorum sententiam agant, nisi approbante Superiore maiore ». Superior obiectum consilii dandi ita proponat ut non appareat, in quam sententiam inclinet. Tandem Superiori

locali datur Admonitor, de quo valet illa norma: « de aliis vero, quae sive ipsis (scl. Admonitoribus) veniant in mentem, sive ab aliis suggerantur, tunc tantum monebunt, si praemissa oratione, ea non levis momenti esse censuerint ».

DE REGIMINE PROVINCIAE

Provinia regitur a Provinciali, nominando a Praeposito; a latere ipsius sunt quattuor Consultores et Admonitor, item statuendi a Praeposito; alii Provinciae officiales eliguntur a Provinciali. Ad praeparandam Congregationem generalem aut Congregationem Procuratorum in singulis Provinciis celebranda est Congregatio provincialis. Congregatio Procuratorum singulis annis celebranda erit, componenda a Praeposito eiusdemque Assistentibus necnon a Deputatis Provinciarum. Congregatio provincialis resultat ratione officii ex Provinciali, ex omnibus a Praeposito nominatis Superioribus et procuratore provinciali; ratione gradus certus numerus ex senioribus sodalibus quattuor votorum Provinciae convocatur. In omni casu cavendum est, ut saltem duae vocalium partes sint professi votorum quattuor. Competentia Congregationis provincialis sese limitat ad electionem duorum Deputatorum pro Congregatione generali aut Congregatione Procuratorum: qui electi sint professi quattuor votorum sollemnium; votum ipsorum est consultativum tantum et sese refert aut ad opportunitatem vel non convocandi Congregationem generalem aut ad postulata Provinciae dirigenda ad Congregationem generalem forsan convocandam. Capitulum provinciale non gaudet ulla potestate legislativa.

DE REGIMINE SOCIETATIS

Suprema Instantia Ordinis est Congregatio generalis ex determinatis solum rationibus convocanda ad electionem Praepositi aut ad gravia, totum Ordinem respicientia, negotia deliberanda. Vocandi sunt ad Congregationem generalem Curia generalitia, provinciales et duo professi quattuor votorum in Capitulo provinciali eligendi; insuper « Procuratores singuli a singulis Viceprovinciis independentibus missi: Procuratores Missionum independentium et maiorum Viceprovinciarum Missionumque dependentium, quibus id concesserit Generalis; Procuratores item qui vocati sunt a Praeposito Generali ad maiorem rerum cognitionem habendam, vel qui missi fuerint a suis Provincialibus cum approbatione Generalis, saltem subsequente eorum missionem ». Singuli Capitulares gaudent una voce, Praepositus duabus. Electio Praepositi fit aut per inspirationem, aut per scrutinium aut per compromissum. Electio fit per absolutam votorum pluralitatem. Ante electionem Praepositi

Congregatio generalis eligit Secretarium generalem et Assistentes generales — octo; sufficit pluralitas relativa. Praepositus pro gravibus causis decidendis audiat consilium Assistentium. Congregatio generalis est unica potestas legislativa et suprema Ordinis auctoritas. Elementum « democraticum » in Constitutionem Societas intrat in tantum, in quantum quidam professi quattuor votorum partem habent in Congregatione generali et illa Procuratorum. Sine ullo dubio Societas pertinet ad illa entia socialia, in quibus omnis auctoritas descendit ex superioribus.

DE CLERICIS REGULARIBUS MINORIBUS

Conspectus historicus

Ordo Clericorum regularium minorum fundatus est a. 1588 Neapoli ab Ioanne Augustino Adorno, S. Francisco Caracciolo, Fabritio Caracciolo. Approbatio Ordinis et Constitutionum obtenta fuit a Sixto V die primo iulii 1588.

Superior generalis sub initium fundationis fuit electus ad vitam; postea ad sexennium. Alex. VII iterum concessit electionem ad vitam. Ordo sese propagavit solummodo in Italia, Hispania, Lusitania.

DE REGIMINE DOMUS REGULARIS

Iuxta antiquiores Constitutiones a. 1612 omnis sodalis sacerdos et professus ex octo annis habuit votum consultivum, nisi ad ius istud inhabilis existat. Capitulum generale iam ante hunc octo annorum terminum membro Ordinis ius consultivum concedere potuit, sed spatium octo annorum prorogare ipsi non licuit. Ius activum et passivum electionis et votum decisivum recepit omnis sacerdos, dummodo sit saecularium confessor, *solummodo post sedecim annos*. Tum Capitulum generale tum provinciale sub certis condicionibus tale ius ante fixum terminum concedere potuit. Si quid grave consultatione dignum accedat, convocatis Capitularibus rem Praepositus proponat, discutiat, exque maioris partis voto concludat. Unaquaeque domus habeat praeter Superiorem saltem duos a Capitulo generali vel provinciali assignatos « Patres Capitulares vel decisivi vel si ii haberi non poterunt, consultivi suffragii ». Si defuit numerus Capitularium praescriptus, tot professione antiquiores ex Capitularibus solum cum voto consultivo, vocandi erant, quot desiderabantur. Qui tamen in admissione ad Ordinem, ad novitiatum, ad professionem gavisi sunt voto decisivo. Capitulum locale convocandum erat in magnis atque extraordinariis sumptibus faciendis atque ut universe dicatur, in rebus om-

nibus extraordinariis. Notandum, quod absente praeposito locali eiusque vicepraeposito administratio rei familiaris, iura praepositi, regimen transierunt ad Capitulares. In eligendo procuratore pro Capitulo provinciali omnes sacerdotes, sive Capitulares sive non Capitulares gavisi sunt voto activo. Ex iure vigenti exstant solummodo Capitulares, qui gaudent voto decisivo necnon voto activo et passivo. Pro Capitulo locali tales Capitulares sunt omnes sacerdotes ad domum pertinentes, solemniter professi, et saltem ex quinquennio professi votorum temporariorum. Exercitium huius iuris dependet a scripta licentia « Consultationis generalis » i. e. Consilii generalitii. In omni domo exstet etiam Capitulum locale et in conventibus cum plurioribus quam quinque sacerdotibus votum habentibus exstet etiam « Consultatio localis ». Quod attinet admissionem candidati ad novitiatum et professionem Capitulum locale fruitur solummodo voto consultivo, in re familiari administranda voto decisivo. In eligendo ad Capitulum generale procuratore iure activo et passivo gaudent unice sacerdotes votorum solemnium.

DE REGIMINE PROVINCIAE

Capitulum provinciale convocandum erat tres annos post celebratum Capitulum generale, unde singulis sexenniis. Membra Capituli fuerunt praeter sodales ex iure statutos etiam procurator in singulis Capitulis localibus electus. Omnis sodalis fruebatur iure per electum procuratorem exprimendi in scriptis sua desideria eaque superior ne legat. Notandum, quod in domo Residentis Generalis ipse Generalis fuit etiam superior localis. Capitulum provinciale tres iudices causarum elegit necnon novum provincialem et quattuor definitores provinciales, qui una cum provinciali novo elegerunt quattuor assistentes provinciales. Provinciales, quattuor definitores et quattuor assistentes elegerunt superiores locales. Divisio ordinis in provincias non amplius existit.

DE REGIMINE ORDINIS.

Singulis sexenniis Capitulum generale convocandum erat; cuius membra fuerunt generalis, procurator generalis, quattuor assistentes generales, duo visitatores, qui eo anno Romanam provinciam visitaverint, provinciales et procuratores seu delegati provinciales a Capitulo provinciali electi. Capitulum generale elegit primo secretarium Capituli, deinde tres iudices causarum et praesidentem, coram quo omnes superiores suo muneri renuntiaverunt. Porro Capitulum elegit Generalem, quattuor assistentes generales et quattuor definitores Capituli. Qui novem durante Capitulo efformarunt De-

finitorium, quod consultis visitatoribus et singulis capitularibus nominarunt provinciales ad triennium, superiores locales ad annum, visitatores provinciarum pro primo anno post terminatum Capitulum generale. Superior generalis electus fuit ad sexennium, confirmandus, placente Capitulo, ad alterum sexennium « absque praeiudicio privilegii perpetuum generalem eligendi, quod nobis Summi Pontifices concesserunt ».

Iuxta Constitutiones vigentes a. 1933 Capitulum generale singulis sexenniis celebratur, singulis autem trienniis Capitulum intermedium. Capitulares sunt post suppressas provincias etiam deputati domorum localium. Insuper vocantur exgenerales, exprocuratores generales, magistri novitiorum et sacerdotes — non supra tres — ex dignioribus designandi aut a Capitulo aut Consultatione generali. Diffinitorium generale iuris antiquioris non amplius existit. Exceptis paucis minoris momenti punctis statuta Clericorum regularium minorum, quod attinet ius subditorum participandi communibus deliberationibus, constituti sunt sub influxu magnorum Ordinum Mendicantium. Subditis in omni materia administrativa relative fortis influxus concessus est.

DE ORDINE CLERICORUM REGULARIUM PAUPERUM MATRIS DEI SCHOLARUM PIARUM

Conspectus historicus

Fundator huius Ordinis est Iosephus Calasantius nationis hispanicae (1556-1648). Qui a. 1592 petiit Urbem et ibidem condidit primam scholam publicam elementarem in Europa, in qua pauperes pueri gratis instructionem et educationem receperunt. Clemens VIII hisce « piis scholis » subsidium tulit. Ex a. 1604 Iosephus Calasantius coepit cum duodecim sociis vitam communem ducere; quo actu posuit fundamentum pro Congregatione Religiosa. Clemens VIII univit hanc iuvenem Societatem cum Congregatione a Matre Dei Luccensi. Sed Paulus V die 6. 3. 1617 solvit hanc unionem et approbavit fundationem Iosephi uti Congregationem autonomam; cuius sodales emiserunt quattuor vota simplicia, et sese dedicaverunt educationi et instructioni imprimis pauperum puerorum. A. 1621 Greg. XV Congregationem confirmavit tamquam Ordinem; anno sequenti approbavit Constitutiones fundatas super Regulam S. Augustini. Papa nominavit fundatorem ad novem annos Generalem Ordinis. Primum Capitulum generale convocatum fuit mense oct. 1627; Urban. VIII die 12. 1. 1632 elegit fundatorem in Generalem ad vitam. Ordo primo sese propagavit in Italia, ex a. 1631 in Moravia, Bohemia, Polonia, Hispania. Iam 1634 provincia Germaniae, brevi post in plures provincias divisa, erecta est.

DE REGIMINE DOMUS RELIGIOSAE

Antiquissimae Constitutiones Ordinis stricte centralizati ex a. 1622 nullam normam continent de capitulo locali quoad compositionem et competentiam. Pro Capitulo provinciali unaquaeque domus gaudens certo numero sodalium Deputatum elegit. Pro admissione ad novitiatum et professionem omnes professi domus novitiatus gavisi sunt quodam iure cooperationis non qualificatae; admissio ad professionem concessa est a provinciali, « de voto tamen et consensu Professorum omnium eius Monasterii, in quo eam emittet ». Constitutiones a. 1933 iura strictius determinant. Capitulum locale eligit « Vocalem » pro Capitulo provinciali; Capitulum locale recipit etiam rationem reddendam de reditibus et expensis habitis in administratione domus; insuper in Capitulo locali de quaestionibus propositis a Capitularibus tractatur. Circa iura in admissione ad novitiatum et professionem nihil mutatum.

DE REGIMINE PROVINCIAE

Ad Capitulum provinciale singulis trienniis convenerunt provincialis, superiores locales, deputati tandem conventuum. Quod Capitulum elegit duos Deputatos, qui una cum Provinciali adierunt Capitulum generale. Vi Decreti Innoc. XII de 1. 3. 1693 eligendi erant a Capitulo provinciali insuper sex Patres ex gravioribus, de quorum consilio et assensu in singulis provinciis provinciales definiant super causis incorrigibilium. Signum speciale systematis tum auctoritatis tum centralizationis ex eo elucet, quod Superiores locales singulis hebdomadibus referant ad provincialem, qui saltem singulis mensibus idem faciat relate ad Generalem.

Novissimae Constitutiones quasdam mutationes circa constitutionem provinciae continent. Membra Capituli provincialis adaucta sunt, imprimis ex privilegio « si velint ». Circa electionem provincialis Capitulo provinciali competit solummodo ius praesentandi tres candidatos, ex quibus Generalis cum suo Consilio nominat provincialem.

DE REGIMINE ORDINIS

Antiquissimae Constitutiones distinguunt duplex Capitulum generale, sc. Capitulum de eligendo Generali et alterum pro rebus agendis. Postquam autem Alex. VII per C. « Cum sicut » de 28. 4. 1660 munus Generalis et quattuor Assistentium limitavit ad sex annos, utrumque Capitulum insimul celebratur. Singulae Provinciae duos Deputatos a Capitulo provinciali electos mittere poterant. Decretum a maiore parte latum viguit « tamquam coelitus datum ».

Capitulum generale a. 1671 hanc normam dedit: « Nihil autem, ut plurimum, in Capitulo generali decernendum proponatur, quod serio non fuerit in Provinciali discussum; prout etiam in Provinciali, quod non fuerit in localibus examinatum, privatis quibusque literis et supplicationibus reiectis ». Si in electione Generalis primum scrutinium non maturavit maioritatem absolutam, « confugiatur ad Compromissionem in quinque Electores, ex numero Vocalium per votorum pluralitatem assumendo. Is, in quem pars maior compromissariorum inclinat, Generalis... renuncietur ». Generalis potuit deponi sive in Capitulo generali sive extra Capitulum ab Assistentibus generalibus et provinciali provinciae Romanae » de voto trium viciniorum Provincialium ». Notandum: Constitutiones a. 1940 n. 210 n. 187: « ad provinciam formatam seu regularem constituendam requiruntur sex saltem domus formatae ad normam iuris, et quinquaginta religiosi professi, quorum saltem triginta sint sacerdotes... » n. 188 « Provinciae vero nunc exsistentes, quae praescriptas condiciones non habent, ut provinciae non formatae habebuntur, quamvis nomen provinciae retineant ». Viceprovinciae sunt illae, quae dependent a provincia formata. Provinciae non formatae possunt unum Delegatum mittere ad Capitulum generale.

Quod attinet ius participandi in deliberationibus, laudatus Ordo clare exhibet influxum Ordinum Mendicantium.

DE CONGREGATIONE SANCTISSIMI REDEMPTORIS

Conspectus historicus

Congregatio Ss. Redemptoris a S. Alphonso de Liguori die 9. 11. 1732 fundata est in loco « Scala » prope Neapolim. Cum suis sociis, sc. quattuor sacerdotibus et quattuor conversis fundator sese subdidit Episcopo de Castellamare, Thomae Falcoja, in cuius manus sodales iuvenis Societatis die 21. 7. 1740 emiserunt votum perseverantiae. Primum Capitulum generale, celebratum mense maii 1743 elegit fundatorem in rectorem maiorem ad vitam. Congregatio approbationem pontificiam recepit a Bened. XIV per Breve « Ad pastoralis dignitatis » de 25. febr. 1749. Primae quattuor fundationes institutae sunt in regno Neapolitano; accessit a 1755 prima fundatio in Statu Pontificio prope Beneventum. Evolutio Instituti pluries impedita est per divisiones, quarum prima sub pressione Regiminis Neapolitani comprehendit tres partes, sc. Statum Pontificium, territorium Neapolitanum, Siciliam. Occasionem separationis praestitit sic dictum « Regolamento », i. e. Statutum a Gubernio Neapolitano impositum et a quibusdam sodalibus cum restrictione acceptatum; Statutum in punctis essentialibus a Constitutionibus a Bened. XIV approbatis recessit. Reconciliatio post

mortem fundatoris facta est a. 1793. Illo tempore Congregatio gavisa est undecim domibus cum circa ducentis sodalibus. Decisivus pro posteriore feliciore evolutione fuit ingressus duorum novitiorum non Italorum in Societatem, sc. Clementis Hofbauer et Thaddaei Huebl, a. 1784. Ipsi fundaverunt a. 1787 in civitate Varsaviensi primam domum extra Italiam. Circa medium saec. XIX pars Congregationis non-italica superavit partem italicam. Eodem fere tempore secunda divisio locum habuit; Pius IX enim studuit domui generalitiae in Urbe collocandae; sed restitit rex Neapolitanus. Unde S. Sedes Congregationem divisit in duas independentes, sc. Congregationem Neapolitanam cum domibus Neapolitanis et Siculis ex una patre, ex altera autem Congregationem Transalpinam cum caeteris residentiis. Iam Gregor XVI Congregationem diviserat in sex provincias, quarum tres italicae directe Superiori Generali subditae erant; tres provinciae extra Italiam militaverunt sub Vicario Generali. Quando autem post divisionem a Pio IX institutam Nicolaus Mauron a. 1855 electus fuit primus Superior Generalis in Urbe residens, mox studia pro unione duarum Congregationum inita sunt; quae unio facta est a. 1869. Anno reconciliationis Congregatio transalpina una cum provincia Romana gavisa est circa 1400 sodalibus, Neapolitana autem solummodo 250 sodalibus. Nostris temporibus Congregationi adscripta sunt circa septem millia membrorum.

Constitutiones laudatae Congregationis constant tum ex Statuto per S. Alphonsum conscripto tum ex ordinationibus per plura Capitula generalia editis. Ipsae magnam cum Constitutionibus S. I. similitudinem prae se ferunt, etsi quasdam differentias exhibent.

DE REGIMINE DOMUS

In Congregatione Ss. Redemptoris, sine dubio sub influxu S. I. tum regimen Capituli generalis singulis novenniis convocandi tum regimen Superioris Generalis (Rettore Maggiore) a principio graviter extollitur. Divisio in provincias solummodo sub Greg. XVI facta est. Iuxta antiquissima Statuta unaquaeque domus elegit Deputatum, qui una cum Superiore domus adiit Capitulum generale. Iure activo et passivo pro eligendo Deputato gavisi sunt omnes sacerdotes professi (Sacerdoti oblati) respectivae domus. Ius eligendi Deputatum post erectas provincias transiit ad provincias. Statuta vigentia illis domibus concedunt facultatem eligendi Deputatum pro Capitulo provinciali, quae una cum Superiore locali saltem quinque sacerdotes gaudentes iure activo et passivo numerant. Pro domibus minoribus alio modo providetur. Capitulo locali proprie dicto Statuta non provident.

Greg. XVI in Decreto « Presbyterorum saecularium » de 2. 6. 1841 statuit: « In proximo Capitulo Generali celebrando cum interventu Provincialium et duorum sociorum pro qualibet Provincia decernantur quae servanda sunt in celebratione Capitulorum generalium, provincialium et domesticorum. Sex provinciae illo tempore creatae fuerunt; Romana, Neapolitana, Sicula directe Superiori generali subiectae erant; tres aliae, sc. Austriaca, Belgica, Helvetica resp. Gallico-Helvetica stabant sub Vicario generali Congregationis Transalpinae. Ad normam huius Decreti a. 1855 Romae Capitulum generale celebratum est, cui ratione pertinaciae regis Neapolitani sodales utriusque Sicialiae non interfuerunt. In Actis legitur: « Cum Capitulo Generali non amplius interveniant Rectores singuli cum Socio sibi a Capitulo cuiusque domus adiuncto, sed Provinciales cum duobus sociis pro qualibet Provincia et ea, quae in Regula dicuntur de eligendo Socio, referenda sunt ad Socium, qui Rectorem ad Capitulum Provinciale comitabitur ». Usque ad a. 1921 Capitulum provinciale elegit duos Deputatos pro Capitulo generali, ex nunc solummodo unum.

DE REGIMINE CONGREGATIONIS

Principem locum in Congregatione tenet Superior generalis (Rector maior) a Capitulo generali cum duabus a tribus partibus electus ad vitam, prout Praepositus generalis S. I. Etiam ipsius potestas haud dispar est ab illa Praepositi generalis. « Egli avrà un'assoluta autorità per ciò che riguarda il governo interno o domestico sopra tutte le Case e Soggetti della Congregazione ». Unde Rector maior nominat omnes Superiores locales ipsorumque Admonitores, Consiliarios, necnon magistros novitiorum, magistros studentium, visitatores, Lectores. Solummodo sex a Capitulo generali electi Consultores limitant Rectoris maioris potestatem, quin tamen generaliter gaudeant voto decisivo. Capitulum generale circa negotia tractanda singulis novenniis convocatur. Relatio numerica inter deputatos directe ad Capitulum generale electos et inter capitulares ex officio competentes stat in favorem posteriorum; nam ex a. 1921 singulae provinciae solummodo unum deputatum eligere poterant. Influxus subditorum ex eo augetur, quod eodem anno etiam vice-provinciae gavisae sunt iure eligendi deputatum. Notandum est, quod deputati in Capitulo provinciae et vice-provinciae electi pro Capitulo generali suum influxum amittunt ex eo, quod Capitulo provinciali maior votantium pars interest vi officii, non electionis. Iuxta I. in Congregatione Ssmi Redemptoris vis et gravitas regiminis residet sine ullo dubio in supremo capite. Assertum illustratur ex defectu Capituli localis et ex modesto loco, quo gaudent Ca-

pitula provincialia. Clare inde elucet influxus constitutionis S. I.; ex altera vero parte I. perspicit in ratione electionum elementum haereditarium Ordinis Praedicatorum.

I. tractat in Appendice de modernis votorum simplicium Congregationibus notatque: Congregationes copiose saec. 18 et 19 fundatae cum scopo modernis Ecclesiae indigentiis sese adaptandi per longum temporis spatium unicam regiminis normam habuerunt proprias Constitutiones; nam vi declarationis S. C. Ep. et Reg. de 16. 9. 1864 sodales non fuerunt considerati uti vere religiosi; unde ius commune regularium ipsis non erat applicandum. Primus Leo XIII per C. « Conditae a Christo » 8 dec. 1900 hisce Congregationibus normas iuridicas statuit. Eadem S. C. a. 1901. 28. iun. suppeditavit normas generales, iuxta quas S. S. in approbandis Institutis procedere solet.

Quae normae de Capitulis localibus nihil statuunt, sed subditis concedunt ius eligendi deputatos ad Capitula provincialia et generalia iuxta certum modum. Deinde dantur normae pro Capitulo provinciali et generali, quod est aut ordinarium aut extraordinarium seu extra tempus.

EPILOGUS

I. colligit fructum sui vere eximii studii in haec verba: mens « de adhibendis ad consilium fratribus » iam invenitur in regula S. Benedicti seu sub initium Monachismi occidentalis. Quae mens decursu temporis magis magisque sese evolvit diversasque induit formas. Abstrahendo ab elementis potius accidentalibus quam essentialibus possumus tres typos fundamentales Constitutionum in Ordinibus vigentium discernere: typum benedictinum, typum O. Pr., typum S. I. Omnes hi tres typi in eo conveniunt, quod subditis ius concedunt per sua vota influendi in regimen, sed inter se differunt quoad mensuram et quoad modum huius participationis.

In monasterio autonomo benedictino influxus subditorum in regimen monasticum sese prodit immediate et ad partem mediate. Omnes capitulares intersunt deliberationibus. Electio superiorum et quorumdam officialium, suffragium in causis gravioribus abbatem concernentibus, imprimis in quaestionibus circa incorporationem novorum membrorum et rei familiaris administrandae sunt praecipua obiecta directae participationis. Indirecte subditi influunt in regimen per eligendos ab ipsis seniores seu consiliarios abbatis.

Constitutio O. Pr. traditionem monasticam recepit pro materia capituli localis. Circa electionem Superiorum localium ius subditorum limitatur ratione confirmationis a provinciali obtinendae.

Forma regiminis centralistica nihilominus sodalibus singulorum conventuum concedit facultatem eligendi ad Capitulum provinciale deputatos et per ipsos influxum capiendi indirecte saltem in regimen provinciae. Ius subditorum sub ratione influxus in supremum regimen diminutum censendum est; nihilominus hoc ius est sat notabile, in quantum subditis relinquitur facultas eligendi deputatos ad Capitulum generale et tali modo conferunt ad electionem Magistri generalis et Definitorum, ad leges ferendas, ad vigilantiam a Capitulo generali exercendam. Si abstrahimus a Capitulo generali Definitorum, forma regiminis in ordine Praedicatorum observata exstitit exemplar pro Ordinibus medio aevo fundatis, immo etiam ad partem pro modernis religiosis Institutis.

In constitutione S. I. insigne momentum est unio omnis potestatis in una manu, sc. in Praeposito generali ad vitam electo. Si conferas potestatem supremam cum auctoritatibus inferioribus, hae dicendae sunt sat limitatae. Exercitium potestatis cursum sumit a superis ad inferos. Nihilominus momentum sociale non est totaliter exclusum, in quantum professi intersunt Capitulo provinciali et Capitulo generali per deputatos a provinciis electos; sed influxus Capituli provincialis in S. I. non potest aequiparari influxui Capituli provincialis in Ordine Praedicatorum. Abstrahendo a diversis sodalium gradibus in S. I., a rara Capituli generalis convocatione typus regiminis S. I. factus est exemplaris pro Congregatione Ssmi Redemptoris et partim pro modernis Institutis typi uniformis; sed haud praetereundum hoc factum: systema electionis et deputatorum eligendorum in Ordine Praedicatorum praevalere coepit tum in Ordinibus Clericorum regularium tum in modernis Congregationibus.

I. colligendo totum tractatum statuit hanc summam: Ecclesia ex una parte respexit abundantes traditiones et multiplices proprietates singulorum Ordinum, ex altera autem parte concessit subditis plus minusve amplum ius per suffragia influxum obtinendi in regimen Instituti. Regula prudentiae S. Scripturae: « omnia fac cum consilio et post factum non poeniteberis » necnon norma iuris romani: « quod omnes tangit, ab omnibus comprobetur »: quae normae una cum optimis traditionibus vitae religiosae multiplicem receptionem invenerunt in positiva legislatione ecclesiastica.

Tandem I. suam propriam mentem manifestat scribendo: iuste sermo esse poterit de quadam *convenientia*, *si subditis* ad instar principii conceditur ius participandi per sua suffragia aliquo saltem modo definiendis Constitutionibus. Causae sunt sumendae ex ipsa experientia. Ex una parte valeat axioma: superior Christi vices agit (cf. cap. 2. regulae S. Benedicti); ex altera autem parte

tenendum est factum: omnis superior expositus est periculo erroris; insuper ipsi incumbit obligatio moralis utendo omnibus mediis ad finem regiminis obtinendum. His mediis adnumeranda est communis deliberatio cum peritis et capacibus sodalibus, etsi non pertineant ad officiales. Benedictus, qui in sua regula subditis tam amplum participationis ius concedit, hanc allegat rationem: « ideo autem omnes ad consilium vocari diximus, quia saepe iuniori Dominus revelat, quod melius est » (l. c. c. 3.). Eandem normam postulat *aequitas*. Ad ultimum I. addit momentum psychologicum hoc: generaliter loquendo sodales eo alacriori gaudio cooperantur ad finem Instituto communem, quo maiorem partem activam in deliberationibus, quae ipsorum intersunt, obtinent.

I. concludit suum tractatum haud satis laudandum et superioribus religiosis commendandum verbis Adelogi, episcopi Hildesheimen. ad capitulum cathedrale saec. 12. scriptis:

« Tunc optime res ecclesiasticae dispensantur, si cum prudentum consilio administrantur ».

D. Gerardus Oesterle O. S. B.

MATRIMONII CONVALIDATIO

In suo laudato articulo [1], in quo propugnat iuris circa impedimenta matrimonialia immutationem et de quo iam plura scripsimus in articulo nostro praecedenti [2], auctor, V. Bartoccetti, etiam agit de iure Codicis circa convalidationem matrimonii invalidi pluraque in lucem trahit quae merentur canonistarum attentionem, studium et fusiorem disceptationem. Quoad convalidationem auctor duas praecipue proponit et propugnat iuris hodie vigentis emendationes, scilicet: 1. commendandum est ut pro multis casibus in quibus habetur matrimonium invalidum vigeat sic dicta *convalidatio automatica* seu illa, quae vi consensus semel dati et perseverantis fit solo decursu alicuius temporis spatii, lege determinati; a. v. quae fit quin requiratur actus sive superioris ecclesiastici (sanatio in radice), sive utriusque aut saltem alterutrius coniugis; 2. commendandum est ut non sustineatur una sola norma et eadem pro omnibus convalidationibus, sed inducantur normae diversae pro diversis casibus convalidationis, qui enim sunt inter se valde diversi prout invaliditas habet aliam causam.

[1] Révue de Droit Canonique, 1953, fasc. 3.
[2] Monitor Ecclesiasticus, 1955, fasc. praeced.

Auctor orditur ab aliquo rerum statu, quem ipse ratione officii melius quolibet alio cognoscere potest et qui animam cuiuslibet canonistae turbare debet: matrimonia invalida nequeunt esse pauca. Hoc esse verum, praeprimis demonstrari potest ratione quae vocatur « a priori ». Multiplicitas causarum, quibus aliquod matrimonium potest esse invalidum, iurisque hanc materiam regentis implicatio, qua facile in eius applicatione errores committuntur vix non possunt causare multa matrimonia invalida. Deinde ratione a posteriori. Numerus causarum in quibus agitur de validitate matrimonii, quolibet anno in tribunalibus ecclesiasticis actarum, non est exiguus. Pro parte longe maiori haec matrimonia sunt invalida. Nam etiamsi admittamus (aestimatione certo non exaggerata) dimidiam patrem causarum habere felicem exitum (constat de invaliditate), numerus matrimoniorum accusatorum vere invalidorum est notabiliter maior. Nam inter ea, de quibus pronuntiatur sententia « non constat de nullitate », multa inveniuntur quae revera sunt invalida. Ex lata sententia « non constat de nullitate » non sequitur matrimonium in casu esse validum. Fere circa omnium matrimoniorum de nullitate accusatorum validitatem habentur graves rationes dubitandi de validitate et tunc certum est inter ea inveniri multa quae revera sunt invalida, etsi desit certa probatio in tribunali. Si autem matrimonia quorum causa agitur in tribunalibus essent omnia matrimonia invalida, saltem dubie, numerus esset relative exiguus. Pro dolor! Pro certo tenendum est matrimonia accusata esse nonnisi minimam partem matrimoniorum invalidorum.

Ut enim matrimonium invalidum ad tribunal deferatur, plura simul requiruntur: 1. ut invaliditas nota sit vel fiet saltem alterutri parti; 2. ut habeatur casus in quo coniuges cupiunt separationem; 3. ut coniuges admittant auctoritatem tribunalium ecclesiasticorum in hac materia. Istarum trium conditionum quaelibet separata sumpta iamraro verificatur. Rarissime proinde omnes simul. Leges ecclesiasticae quibus statuuntur causae invaliditatis matrimonii fere omnes valent pro *omnibus* baptizatis, etiam non catholicis [3]. Acatholici autem eas ignorant aut nesciunt se eis teneri. Quare fere numquam cognoscere possunt invaliditatem matrimonii sui quae causam habet in lege ecclesiastica; si autem eam cognoscant non possunt neque volunt adire tribunal ecclesiasticum, cuius competentiam enim non agnoscunt. Ad catholicos quod attinet, tertia conditio communiter verificatur. Attamen, rarissime cogno-

[3] Duae tantum habentur leges, a quibus personae baptizatae extra Ecclesiam catholicam eximuntur, scilicet lex de forma canonica servanda (cc. 1099 § 2) et lex quae statuit impedimentum disparitatis cultus. (c. 1070).

scunt invaliditatem matrimonii, cum causa invaliditatis ab ipsis communiter ignoretur ignorantia sive iuris sive facti sive utraque simul.

Causam nullitatis communiter detegunt illi soli coniuges, qui iam desiderant separationem aut eam de facto iam instituerunt. Experientia constat in multis casibus, in quibus matrimonium accusatur de invaliditate, voluntatem instituendi causam non esse effectum detectionis impedimenti, sed e contrario detectionem impedimenti seu causae nullitatis esse effectum voluntatis obtinendi declarationem nullitatis seu voluntatis movendi causam.

Haec omnia iustificare videntur iudicium quo asseritur multa matrimonia esse invalida et remanere invalida per totam vitam coniugalem, a. v. verum dicit Bartoccetti scribens: « multi sunt coniuges qui post vitam coniugalem felicem usque ad mortem protractam, in coelo detegent se numquam fuisse veros coniuges et numquam recepisse sacramentum, quod Christus Dominus misericorditer pro ipsis instituit in auxilium opportunum ». Utique, optime scimus omnia matrimonia invalida praevenire esse impossibile. Errare humanum est et erit humanum in perpetuum. Sed in dubio vocari nequit optimum laborem perficere canonistas, qui exemplum Rev.mi Bartoccetti sequentes et quasi ab eo invitati et incitati, non cunctantur aggredi quaestionem: « nonne malum hic designatum opportuna et prudenti iuris matrimonialis immutatione possit notabiliter diminui? »

Duae immutationes menti hoc problema pervolventi se sponte offerunt scilicet: 1. diminuere causas nullitatis; 2. promovere matrimoniorum invalide contractorum convalidationem. Ad primum quod attinet iam scripsimus in articulo praecedenti, propugnantes plurium impedimentorum abrogationem vel, si hoc non iudicaretur opportunum, saltem immutandam horum impedimentorum indolem seu naturam iuridicam, qua cessant esse dirimentia et manent tantum impedientia; eorum scilicet impedimentorum, quae in praxi apparent esse non magni momenti, sed quae sunt causa invaliditatis occultae multorum matrimoniorum. Nunc in specie agendum est de iure quo regitur illud institutum iuridicum, quod vocatur matrimonii convalidatio.

Leges Codicis hoc institutum regentes omnino impediunt convalidationem matrimonii invalide contracti, cuius nullitas est nemini nota. Nam ad quamlibet convalidationem exigunt aut interventum superioris (sanatio in radice) aut actum positivum partis nullitatis consciae. Ius Codicis omnino ignorat convalidationem ipso facto seu automatice oriundam post tempus iure determinatum.

Consulto dico: *impediunt*. Automatica convalidatio enim, oriunda post cessatam causam nullitatis, iure positivo *impeditur*.

Natura rei, natura scilicet contractus et proinde etiam natura matrimonii, efficit convalidationem automatice seu absque ullo actu positivo, dummodo consensus naturaliter sufficiens ad matrimonium adsit (semel datus sit et non revocatus) et causa invaliditatis sit sublata ut fusius probavimus et explicavimus in opere nostro « *Praelectiones Iuris Matrimonii* » p. 523 seqq. Non solum enim consensus actualis, sed etiam consensus virtualis est ipsa causa adaequata matrimonii validi et ideo nisi obstet aliquod impedimentum (in sensu largo) ipsa sola efficit matrimonium. Haec est ratio qua actus positivus voluntatis de qua agit canon 1134, nullatenus requiritur quoties agatur de convalidatione matrimonii duorum infidelium. Si Titius infidelis contraxerit cum Caia infideli, sed invalide quia tempore celebrationis Sempronia, uxor legitima Titii adhuc erat in vita, ipso momento quo Sempronia moritur matrimonium inter Titium et Caiam fit validum, vi solius consensus ex utraque parte perseverantis. Etiam in sanatione in radice causa propria convalidationis non est alia quam consensus partium perseverans. Superior nihil aliud facit (neque plus facere potest, iure naturae, canone 1081 enuntiato) nisi amovere obstacula, scilicet legem de renovatione consensus et, saltem nisi iam cessaverint ex se, impedimenta.

Si autem convalidatio solo decursu temporis efficienda seu automatica est a natura contractus minime aliena, imo proprie ei consona, ipsa non est in iure vitanda propter seipsam. Et utile esse videtur studio subiicere quaestionem utrum legislatio Codicis, quae quamlibet convalidationem automaticam prorsus impedit (pro personis quae legibus ecclesiasticis tenentur, ut per se patet), sit retinenda an forsitan propter rationes practicas immutanda. Sane, nemo propugnat immutationem ita generalem et absolutam ut pro *quolibet* matrimonio invalido, quin ratio habeatur cum indole causae nullitatis, statuatur automatica convalidatio, post aliquod tempus lege determinatum sequenda. Dantur casus pro quibus, ratione causae nullitatis, convalidatio automatica debet esse exclusa, etiamsi illa sequeretur si casus solo iure regeretur naturali. Quaestio hic agitata igitur est utrum bonum commune commendet ut illud severissimum ius positivum quod unicam et eandem formam pro omnibus casibus inter se ita diversis statuit sit retinendum, an bonum societatis et animarum commendet ut huic iuri uniformi substituatur complexus normarum diversarum pro diversitate casuum, a. v. ut *aliae* statuantur normae convalidationis secundum quod invaliditas *aliam* habet causam.

Ratio movendi hanc quaestionem iam sponte surgit e natura rei de qua loquimur. Causae invaliditatis matrimonii sunt ita di-

versae, ut a priori iam dubium moveri possit utrum conveniens sit regendi omnes hos casus diversos una eademque norma.

Aliam rationem affert Bartoccetti in laudato articulo suo. In pluribus codicibus civilibus aliae normae convalidationis statutae habentur prout differunt causae invaliditatis. Haec autem ratio cum quadam cautione est afferenda in favorem immutationis iuris canonici. Nam, ni fallor, plures huiusmodi convalidationes automaticae, quae in codicibus civilibus vigent, proprie non sunt convalidationes. Vi istarum legum matrimonium non fit validum, sed solummodo coniuges invalide coniunctos post aliquod tempus et automatice privant iure accusandi matrimonium coram tribunalibus. Hoc est aliquid omnino aliud. Sic consolidatur status rerum, quo sola vita externa regulatur, sed bono animarum et conscientiae non consuletur. Ecclesia non tam facile omnia imitare potest quae societas civilis propter solum bonum externum recte facit [5].

---

[5] Ni fallor Bartoccetti in suo articulo tam utili committit aliquas inexactitudines in proponenda et applicanda doctrina iuridica. In n. 6. agit de obiectione implicite contenta in sententia plurium canonistarum perhibentium Ecclesiam debere in re matrimoniali tueri rei veritatem eique non licere statuere praesumptiones iuris et de iure. Ipse hanc obiectionem impugnat notans: 1. disciplina canonica iam ab antiquo tempore admisit huiusmodi praesumptionem, statuens sic dictum matrimonium praesumptum, quod saltem a saeculo XII usque ad Codicem viguit; 2. etiam Codex, in canone 1067 § 1 admittit praesumptionem iuris et de iure, statuens incapacitatem contrahendi matrimonium ratione aetatis pro viro ante 16, pro muliere ante 14 annum completum. Aliquid simile habetur in canone 1094 § 1, qui statuit impedimentum raptus.

Ni fallor, auctor hic male propugnat causam propriam tam bonam. Affert rationes quae non sunt solidae cum aliae solidae sufficienter adsint. Etenim:

1. Ius antiquum probat sane praesumptiones iuris et de iure in re matrimoniali non esse omnimode illicitas natura rei. Causant tamen statum rerum ita damnosum, ut melius vitentur. Abrogatio matrimonii praesumpti in Codice hoc confirmare videtur.

2. Erronee adducitur canon 1067 tamquam exemplum praesumptionis iuris et de iure. Nam hic canon nullam prorsus statuit praesumptionem. Iste canon est lex simplex et ordinaria, qua personae natura habiles, inhabiles redduntur ad contrahendum matrimonium. (Relate ad personas, quae iam natura sunt inhabiles canon nihil efficit). Canon 1067 non statuit praesumptionem sed inhabilitatem. Quapropter, si Caius annos habens 15 absque dispensatione contrahit, eius matrimoninm non est matrimonium quod praesumitur invalidum, etsi certo aut forsitan sit validum in rerum veritate, sed est matrimonium invalidum. Ratione iuris canone 1067 statuti ne contingere quidem potest ut habeatur praesumptio nullitatis quae est rerum veritati contrarium. Nam ipsa lex matrimonium reddit invalidum. - Canon 1067 nec quidem est lex ut aiunt fundata in praesumptione inhabilitatis. Legislator enim optime scit homines iam ante aetatem hic electam esse certo habiles ad contrahendum. Quare hic non habetur praesumptio quae definitur: rei *incertae* probabilis coniunctura. Lex canone 1067 statuta fundata est in aliqua cognitione certa, scilicet quod utile est omnino praecavere matrimonia contracta ante aetatem illam, propter defectum iudicii maturi.

Idem valet de canone 1074. Mulier rapta etsi perfecte libere nunc consentiat,

Aggredientibus quaestionem de utilitate statuendi diversas normas pro diversis casibus convalidationis matrimonii sponte se offert triplex illa distinctio, quam Codex habet: invaliditas ex impedimento dirimente, ex defectu consensus, ex defectu formae. Statim tamen animadvertendum est, sub quolibet huius distinctionis membro multos comprehendi casus valde diversos, proprie sub aspectu de quo nunc agimus. Quapropter nonnisi cautissime procendendum est, ne propugnemus immutationes, quae bonae quidem sunt sed non pro omnibus casibus sub hoc distinctionis membro comprehensis.

Insuper, cum facile contingat ut aliquis videat imperfectiones, inconvenientias et damna legi vigenti adnexas, non autem illas quae legi novae seu iuxta suum consilium condendae sunt adnexa (de istis enim saepe caremus experientia, quae est optima magistra), prudentia suggerit ut novam aliquam legem non commendemus nisi solida investigatione nobis constet, in quantum humana fragilitas permittit, eam non causaturam esse damna. Haec autem solida investigatio requirit circumspectionem qua cognoscuntur multae res, quae facile non videntur. Cum autem plures plura videant quam vir singulus, utile est ut hac de re scribentes conclusiones circa desideratam iuris immutationem libenter subiiciamus iudicio critico aliorum, ut et ipsi immutationes propositas aut impugnent aut confirment.

Cum, ni fallor, graviores difficultates praebet immutatio iuris circa convalidationem matrimoniorum invalidorum ob defectum consensus, in hoc articulo disceptationem restringere volumus ad duos alios casus scilicet ad invaliditatem ob defectum formae et invaliditatem ob impedimentum dirimens; remittentes quaestionem de invaliditate ob defectum consensus ad alium articulum.

Convalidatio matrimonii invalidi ob defectum formae.

Defectus formae multiplici modo haberi potest. Pro ordine iuridico et vita sociali attendendum est praecipue ad hanc distin-

---

nequit valide contrahere, quamdiu sit in viri raptoris potestate. Non quia lex aliquid praesumit; sed quia lex (c. 1074) hoc simpliciter statuit. Mulier non praesumiter incapax, sed lege redditur incapax. Consequenter etiam ratione huius canonis numquam haberi potest praesumptio invaliditatis rerum veritati contraria. Hic autem habetur lex fundata in aliqua praesumptione. Nam communiter mulier rapta non libere dat consensum.

Tota appellatio auctoris articuli ad liceitatem praesumptionis iuris et de iure in re matrimoniali non videtur ad rem. Ipse enim nullatenus propugnat ut quoad convalidationem statuantur praesumptiones, sed convalidationes automaticae seu ipso facto decursu temporis secuturae. Ad hoc non requiritur praesumptio iuris et de iure. Sufficiunt leges simplices, quibus matrimonium fit validum in rerum veritate.

ctionem: defectus formae qui est absentia seu omissio cuiuslibet actus, quo habetur celebratio in foro publico ecclesiastico; et defectus formae, qui consistit in hoc quod forma iuridica quidem servatur sed laborat aliquo defectu substantiali, quo matrimonium est invalidum. Defectus formae in primo sensu habetur, si Titius et Caia catholici consensum praebeant inter se solos vel (in circumstantiis ordinariis seu extra casum can. 1098) coram magistratu civili et duobus testibus, vel coram solis testibus. Defectus formae in secundo sensu habetur, si Titius et Caia catholici contrahant coram sacerdote et duobus testibus, sed sacerdos assistat absque delegatione sufficienti, e. g. quia assistit extra territorium delegantis vel cum delegatione data sed non determinato sacerdoti [6].

Hi duo casus defectus formae practice alio adhuc elemento distincti erunt. Nam matrimonium initum prorsus neglecta forma canonica non administratur in registris ecclesiasticis (libris paroecialibus), a. v. nonnisi falsificatione seu dolo huiusmodi matrimonium adnotatum haberi potest in registris. E contra matrimonium celebrantum servata forma, quae tamen laborat defectu, per nium celebratum servata forma, quae tamen laborat defectu, per gistris ecclesiasticis. Fere numquam enim huiusmodi defectus detegitur ante adnotationem.

Haec doctrina etiam valet de forma extraordinaria seu de illa, quae pro casibus extraordinariis praescribitur canone 1098 [7]. Verum sane est quod in regione in qua non solum vigent circumstantiae c. 1098 descriptae sed insuper tota vita ecclesiastica est turbata ratione persecutionis [8], adnotatio matrimonii in registris ecclesiasticis erit impossibilis. Sed hoc tunc valet de omnibus matrimoniis catholicorum, sive valide sive invalide celebratorum, ideoque nullam difficultatem specialem praebet pro convalidatione automatica [9].

Attendentes ad distinctionem hic statutam et explicatam, aggrediamur quaestionem utrum necessarium aut utile sit ut pro omnibus matrimoniis invalidis ob defectum formae retineatur norma severa, quae enuntiatur in canone 1137 et quae impedit convalidationem automaticam quamlibet, an dentur rationes quae commendant ut ius ita immutetur ut saltem pro parte istorum matrimoniorum invalidorum statuatur convalidatio automatica.

---

[6] Confer articulum nostrum in *Periodica de re morali et canonica*, 1954, fasc. 3-4.

[7] Confer canonem 1103, § 3.

[8] Prout hodie erit pro Russia et magnis partibus territorii Sinensis, ubi regunt communistae.

[9] Tunc enim matrimonium automatice convalidatum fit matrimonium validum, sed de cetero, sicut *omnia* matrimonia *valida*, non adnotantur.

Certum mihi videtur normam severam canonici 1137 esse servandam pro matrimoniis invalidis ob neglectam *prorsus* formam canonicam. Inducere pro huiusmodi matrimoniis aliquam convalidationem automaticam esset fini legis de forma servanda omnino contrarium et practice hanc legem abrogaret seu eam fere reduceret ad legem prohibentem. Lex enim condita est ut habeatur certitudo publica de matrimoniis celebratis. Haec certitudo evanesceret, si absque ullo actu publico ecclesiastico mediante solo consensu et temporis decursu sponsi coniugi possent matrimonio valido.

Res autem aliter se habet si agatur de matrimonio invalido ob defectum, quo laborat forma, quae tamen publice est servata, ita ut matrimonium tamquam celebratum coram Ecclesia in libris est adnotatum. In istis casibus invaliditas quasi semper est partibus contrahentibus ignota. A fortiori est ignota testibus aliisque adstantibus; et practice omnibus. Saepissime etiam est et remanet ignota sacerdoti assistenti aliisque qui partem habent in actu celebrationis, praecipue delegationis aut subdelegationis concessione. In istis casibus practice matrimonium semper adnotatur in registris ecclesiasticis. Insuper, non agitur de aliquo matrimonio quod ipsum esset praecavendum ideoque etiam eius convalidatio vitanda, sicut habetur e. g. in casu invaliditatis ob metum gravem, vel ob impedimentum disparitatis cultus. Quapropter non videtur fini legis de forma canonica servanda contrarium, si institueretur pro his matrimoniis aliqua convalidatio automatice seu vi solius decursus temporis secutura. E. g. si statueretur haec matrimonia fieri valida, si coniuges post tres menses (vel post annum) a momento celebrationis non instituerint causam nullitatis.

Dico: non videtur fini legis de forma servanda contrarium. Etenim, huiusmodi convalidatio automatica semper probari potest in foro externo. Practice huiusmodi convalidatio numquam causabit quod aliquod matrimonium est validum et tamen eius validitas probari nequit e registris ecclesiasticis. Imo proprie lex immutata efficiet, ut omnia matrimonia invalida ob defectum formae, externe servatae, quae sunt in registris ecclesiasticis adnotata, post breve temporis decursum fiant valida et sic tollet discrepantiam inter id quod est notatum et id quod revera est. Hoc sane est res utilissima pro vita sociali et iuris certitudine. Qui post tempus lege statutum elapsum cupit obtinere sententiam nullitatis, debebit non tantum probare in celebratione matrimonii sui adfuisse hunc defectum formae, sed etiam debet probare non esse elapsum hoc temporis spatium a momento celebrationis.

Ex hoc novo iuris statuto sequi aliqua damna, non video. E contra plura sequentur bona magni momenti.

1. Matrimonia invalida ob defectum quo laboravit forma externe servata et communiter invalida praeter culpam contrahentium et ipsis insciis, non remanebunt invalida per longum tempus vel per totam coniugum vitam, sicut hodie fere semper fit. Hanc invaliditatis persistentiam esse malum obiectivum et pro posse vitandum nemo negabit. Sed hoc malum obiectivum causat etiam coniugibus gravia damna, quod redundat etiam in prolem. Nam coniuges per totam vitam privantur gratiis sacramenti, ipsis utilibus, ad proprium bonum et ad sustinenda onera vitae coniugalis, inter quae eminet educatio prolis.

2. Nova lege evitantur processus nullitatis, quibus tribunalia ecclesiastica nimis onerata sunt. Hoc est bonum pro tribunalibus, sed etiam pro fidelibus qui propter alias rationes movent causas nullitatis et nunc saepe nimis expectare debent ad obtinendam sententiam, ad quam habent ius et de qua non raro dependent res maximi valoris tam in ordine naturali quam in ordine supernaturali.

3. Nova lege evitantur illae declarationes nullitatis, quae non raro admirationem et indignationem excitant fidelium, saepe etiam scandalum. Sunt illae sententiae, quibus matrimonia eorum, qui per multos annos vitam duxerunt communem filiosque procreaverunt, nulla declarantur ob causam nullitatis, quam actores numquam cognovissent nec allegavissent, nisi ob aliam et inhonestam rationem coepissent desiderare vitae coniugalis solutionem. Hoc non tantum causat scandalum, sed insuper nocet bonis, ad quae ordinata est matrimonii naturalis et supernaturalis indissolubilitas, scilicet bono prolis et mutuo adiutorio.

Convalidatio matrimonii invalidi ob impedimentum dirimens.

Quaestio de utilitate immutandi ius vigens circa convalidationem matrimonii invalidi ob impedimentum dirimens et statuendi pro his matrimoniis aliquam convalidationem automaticam, est magis complicata, duplicem ob causam. Primo, quia dantur multa impedimenta valde diversa. Deinde quia responsio ad quaestionem intime cohaeret cum immutationibus forsitan afferendis in ipsa legislatione qua constituta sunt impedimentia dirimentia, de quorum abrogatione vel immutatione in articulo praecedenti scripsimus.

Etenim, si ius de impedimentis immutaretur et quidem sive impedimentorum in quibus hodie facile dispensatur totali suppressione sive eorum mutatione in impedimenta mere impedientia, videtur iam soluta ipsa quaestio de automatica convalidatione istorum matrimoniorum. Tunc enim non amplius darentur matrimonia invalida ob impedimentum consanguinitatis nisi in talibus gra-

dibus in quibus Ecclesia numquam dispensat aut rarissime; neque ob impedimentum affinitatis nisi in linea recta et nullatenus ob impedimenta criminis primae figurae (c. 1095, n. 1.) vel cognationis spiritualis neque ob impedimentum publicae honestatis.

Ut materia ex ordine tractetur, impedimenta dirimentia distribuere nos oportet in diversas categorias:

1. Impedimenta perpetua, in quibus Ecclesia aut nequit dispensare aut numquam dispensat. Haec sunt: impedimentum impotentiae; impedimentum consanguinitatis in linea recta et in primo gradu lineae collateralis; impedimentum affinitatis in linea recta; impedimentum ordinis sacerdotalis.

2. Impedimenta perpetua, in quibus Ecclesia nonnisi difficulter dispensat impedimentum ordinis diaconatus et subdiaconatus et professionis solemnis; impedimentum criminis cum coniugicidio; impedimentum consanguinitatis in aliquo gradu qui tangit primum.

3. Impedimentum iuris divini, quod cessare potest, scilicet impedimentum vinculi matrimonialis.

4. Impedimentum aetatis et impedimentum raptus.

5. Impedimentum disparitatis cultus.

6. Impedimenta in quibus Ecclesia facile dispensat, quae sunt

a. Consanguinitas in linea collaterali in qua non tangitur gradus primus.

b. Affinitas in linea collaterali.

c. Publica honestas..

d. Criminis absque coniugicidio (can. 1075, n. 1.).

e. Cognatio spiritualis.

Mihi videtur convalidationem automaticam non esse inducendam pro matrimoniis invalidis ob impedimenta, quae comprehendimus sub n. 1. et n. 2. E horum impedimentorum natura seu indole hoc sufficienter elucere puto.

Neque talis convalidatio est inducenda pro impedimentis aetatis et impedimentum raptus (n. 4.). Ratio est, quia haec impedimenta intime cohaerent cum defectu consensus maturi et cum libertate in celebratione matrimonii desiderata. Automatica convalidatio in his casibus saepe esset consolidatio rei, quae in se est naturaliter non solida, etsi absolute loquendo sufficiens pro celebratione et proinde pro convalidatione. Eadem ratio quae commendat ut haec matrimonia non ineantur valida, commendet ut non instituatur convalidatio automatica.

Neque consulendum videtur instituere aliquam convalidationem automaticam pro matrimoniis invalidis ob impedimentum disparitatis cultus. Huiusmodi enim matrimonia sunt vitanda propter grave periculum spirituale aliasque rationes, quae non cessant. Et proprie periculum communiter tolli nequit modo solido, scilicet

cautionibus praestitis, si convalidatio sit automatica. Etiam hic eadem ratio quae commendat invalidam reddere celebrationem commendat ut non instituatur automatica convalidatio.

Quaestio nunc remanet quoad matrimonia invalida ob impedimenta quae comprehendimus sub numeris 3 et 6. Sunt duo casus omnino diversi.

Convalidatio automatica et impedimentum vinculi.

Convalidationem automaticam pro matrimonio invalido ob impedimentum vinculi, tempore celebrationis existens et deinde cessatum, sive morte coniugis (casus frequentior) sive solutione vinculi (e. g. vi privilegii fidei) Ecclesia certissime statuere potest. Ecclesia enim nihil aliud faceret quam abrogare legem positivam, quae ad convalidationem plus requirit quam lex naturalis. Neque contra iuris mutationem de qua agimus recte adduceretur canon 1139 § 2. Casus enim sunt diversi, etsi habeant plura elementa in quibus conveniunt. Sanatio in radice secumfert retrotractionem circa effectus canonicos ad praeteritum, i. e. ad momentum consensus dati, ideoque etiam pro periodo qua matrimonium erat invalidum ob impedimentum iuris divini aut saltem secumfert retrotractionem pro periodo qua impedimentum iuris divini non amplius vigebat, sed tamen vi consensus vitiati propter impedimentum seu legem divinam et non reparati a partibus.

Hoc sane videtur inconveniens et legi divinae iniuriosum. In convalidatione automatica post cessatum impedimentum res aliter se habet. Tunc enim matrimonium nullatenus *fingitur* validum, sed simpliciter convalidatur. Differentia inter convalidationem simplicem ad normam canonum et convalidationem automaticam nulla alia est nisi quod in illa Ecclesia lege sua requirit aliquem actum, in ista in hac sua lege dispensat et rem relinquit soli iuri divino. Porro, rem relinquere soli iuri divino nequit esse huic iuri divino iniuriosum.

Ulterius autem investigandum est utrum adsint rationes quae commendant ut pro huiusmodi casibus statuatur aliqua automatica convalidatio.

Ut recte procedamus animadvertere nos oportet statum quaestionis omnino alium esse prout agatur de matrimonio catholicorum (seu in cuius saltem alteruter coniux est catholicus in sensu canonis 1099 § 1), aut de matrimonio acatholicorum (cuius saltem alterutra pars est baptizata sed neutra est catholica in eodem sensu).

Matrimonium catholicorum cui tempore celebrationis obstat impedimentum vinculi rarissime celebratur in forma canonica, ad quam servandam tamen contrahentes tenentur. Quapropter huiusmodi matrimonia rarissime sunt invalida ob *solum* impedimentum

dirimens vinculi. Practice sunt semper invalida ob duas rationes simul scilicet: ob impedimentum vinculi et ob neglectam prorsus formam canonicam. Haec autem matrimonia convalidare convalidatione automatica non esse commendandum sed omnino vitandum supra rationibus datis diximus (p.). Casus rarissimi in quibus haberi potest matrimonium invalidum propter *solum* impedimentum vinculi esset aut matrimonium contractum coram solis testibus in circumstantiis de quibus agit canon 1098 aut matrimonium contractum in forma canonica ordinaria ad normam canonum 1094-1096 cum impedimento vinculi *non detecto*. Fieri nequit fere ut pars catholica ipsa nesciat impedimentum vinculi quod revera obstat. Quapropter non videtur adesse ratio urgens quae commendat aliquam convalidationem automaticam pro matrimoniis catholicorum invalidorum ob impedimentum vinculi.

Omnino aliter res se habet si agatur de baptizatis non catholicis. Ipsi enim communiter putant matrimonium antea contractum sententia iudicis civilis revera dissolvi. Ideoque contrahentes alias nuptias post hanc sententiam obtentam putant hoc matrimonium esse validum. Practice nulla datur spes ut errorem agnoscant, nisi convertantur ad fidem catholicam. Hae personae igitur remanent per totam vitam in matrimonio invalido, etiamsi impedimentum vinculi, quod fuit causa invaliditatis, iam cessaverit morte prioris coniugis ideoque etiamsi matrimonium convalidari potuerit et certo etiam convalidatum fuisset si coniuges cognovissent invaliditatem et viam convalidationis. Quapropter utile et commendandum esse videtur pro huiusmodi matrimoniis acatholicorum invalidis ob impedimentum vinculi statuere ut post cessatum impedimentum automatice convalidentur, dummodo ut patet per se, momento cessationis perseveret consensus matrimonialis, quod praesumitur.

Contra hanc iuris mutationem obiicere quis posset: « Sic validitas matrimoniorum redditur incerta. Saepe ipsi coniuges nesciunt, utrum et quando prior coniux alterutrius partis e vita decesserit ». Sane, in aliquibus casibus incertitudo haec oriri potest. Attamen, non licet nobis hic loqui de *saepe*. In circumstantiis ordinariis non saepe contingit, imo raro, aliquam personam esse mortam, quin inquisitione cognoscere possimus tempus mortis. Communiter enim mors adnotata habetur in registris publicis civilibus et aliquando etiam ecclesiasticis. In circumstantiis dico ordinariis. Confitendum est hodie tempore bellorum universalium hanc certitudinem non raro deesse quoad plures milites. Multi sane qui in proelio perempti sunt cum nominibus et die mortis adnotati habentur in registris militaribus et civilibus ordinariis. Sed non omnes. Praecipue de iis qui non redierunt post illas magnas catastrophas, quae in bellis hodiernis contingunt facile remanet

incertitudo. Attamen, bella feliciter non quolibet anno contingunt! Quapropter admittendum est communiter diem obitus cuiuscumque personae fere semper esse cognitum aut investigatione statui posse.

Ceteroquin incertitudo aut ignorantia circa mortem aut diem obitus alicuius prioris coniugis nullam praebet difficultatem, quamdiu coniuges secundi matrimonii, quod ipsi putant esse validam, vitam coniugalem non dissolvant, ut iterum ad alias convolent nuptias.

In casibus, in quibus aliquis post secundas nuptias certo aut dubie convalidatas automatica convalidatione ad fidem convertitur catholicam, institutum convalidationis automaticae potest causare difficultates. quae absque hoc instituto non haberentur. Etenim, si persona quae convertitur sit ligatus vinculo matrimonii certo aut dubie convalidati et simul certo aut dubie *rati* (et consummati), novum, i. e. tertium, matrimonium cum persona catholica permitti nequit. Hoc difficiliorem reddit huismodi personarum conversionem ad fidem catholicam.

Hoc revera est damnum quod annexum est institutioni automaticae convalidationis et propter quod quis posset impugnare eius institutionem. Attamen, ni fallor videtur esse rectae rationi et prudentiae legislativae contrarium impedire convalidationem matrimoniorum propter hanc rationem, scilicet quia invaliditas matrimoniorum aliquando faciliorem reddit conversionem Hoc esset uti lege ad finem, ad quem nullatenus est sua natura ordinata. Leges quae irritant matrimonium debent illud irritare, quia matrimonium quod irritant est propter se praeveniendum, e. g. matrimonium personae catholicae cum persona non catholica; matrimonium inter consanguineos, matrimonium vi extortum, etc. Sed non videtur licitum promovere invaliditatem propter finem omnino extrinsecum et accidentalem, qui est facilius reddere conversionem [10] Modus agendi qui, praecipue in rebus naturalibus magni momenti prout est matrimonium, quaerit obtinere id quod non est finis proprius rei, est periculis plenus et facile provocat gravia damna [11].

Lex humana in re matrimoniali tunc tantummodo est recte facta, si tendat ad bonum matrimonii et non si provocet aliquid

---

[10] Confer quae dicta sunt... in articulo praecedenti, nota 10.

[11] In hac re non pauci sacerdotes loquuntur modo, quo manifestant se admittere utique legem de indissolubilitate matrimonii, sed aegre. Lex est divinutus statuta, ergo non licet eam reiicere aut ei derogare. Loquuntur tamen ac si putent Deum melius feclsse non condendo hanc legem severam; nam impedit conversionem eorum qui non parati sunt hanc legem perfecte servare. Effectus huius status mentis est ut quaerant evadere legem promoventes invaliditatem matrimoniorum multorum, eorum scilicet qui non sunt catholice baptizati.

in damnum matrimonii (invaliditatem) et tunc hoc (hac invaliditate) utatur ad aliquod bonum matrimonio extrinsecum (facilitas conversionum). Hoc ni fallor tantummodo spectat ad ius quod a Deo constituitur, qui infinita sua scientia et sapientia omnia praevidere potest [12].

Convalidatio automatica et impedimenta facilioris dispensationis.

Ad invaliditatem ob impedimenta quae sub n. 6 designantur quod attinet dicendum videtur quod pro istis impedimentis utiliter induceretur convalidatio automatica, secutura post aliquod temporis spatium lege statutum [13]. Hoc nisi, ut iam diximus, haec impedimenta aut prorsus abrogentur aut saltem priventur vi dirimendi matrimonium. Huiusmodi convalidatio automatica simpliciter lege statuta ipso facto restringeretur ad illa matrimonia, quae non sunt invalida *etiam* ob formam canonicam prorsus neglectam a personis, quae ad formam servandam tenentur (c. 1099, § 1) a. v. ad illa matrimonia quae non sunt invalida etiam propter illum defectum formae, pro quo non commendatur convalidatio automatica [14].

Iuris mutatio afferenda.

Ad bonas leges faciendas non sufficit ut agens sit optimus canonista i. e. vir qui ius lege condendum bene cognoscat. Requiritur insuper ut agens emineat arte legisferendi, i. e. componendi illas formulas, quibus clare et indubie aliis communicat quid verbis legis intendit statuere. Nulla datur ratio qua putarem me eminere hac arte; imo me habere etiam mediocriter hanc artem. Quare, quae hic adduntur, non sunt nisi conatus (exemplum) quo res supra expositas et propugnatas breviter in forma legis redactas, aliorum iudicio subiiciuntur. Si mutationes propugnatae essent afferendae, ius matrimoniale Codice contentum sic esset mutandum:

Canones de convalidatione matrimonii (Caput XI a. 1) omnes serventur, sed ad canonem 1133 § 1 addantur verba: « nisi aliud iure expresse caveatur ». Post canonem 1135 addatur: « Matrimonium invalidum contractum ob impedimentum vinculi, inter personas de quibus in canone 1099 § 2, ipso facto convalidatur momento quo impedimentum cessat, dummodo perseveret partium consensus ».

---

[12] Huiusmodi ius divinum in re matrimoniali est privilegium fidei, quo aliqualiter derogatur legi de indissolubilitate matrimonii in favorem conversionis ad fidem.

[13] Haec convalidatio automatica est sic intelligenda ut includat dispensationem ipso iuso iure concessam post temporis spatium lege statutum elapsum.

[14] Prout propugnavimus in p. 133.

Canon 1137 sic immutetur: « Matrimonium nullum ob neglectam prorsus formam canonicam, ut validum fiat, contrahi denuo debet legitima forma. Matrimonium autem celebratum in facie Ecclesiae, sed invalidum ob defectum in ipsa forma, ipso iure convalidatur post tres menses post celebrationem elapsos, nisi partes interim consensum revocaverint aut matrimonium de nullitate accusaverint coram iudice ecclesiastico ».

Deinde inseratur aliquis canon huius tenoris: « Matrimonia nulla ob impedimentum consanguinitatis in linea collaterali quo non tangitur gradus primus; ob impedimentum affinitatis in linea collaterali; ob impedimentum publicae honestatis; criminis absque coniugicidio; cognationis spiritualis ipso iure convalidantur, cum dispensatione ipso iure concessa, post tres menses a celebratione, nisi partes interim consensum revocaverint aut causam nullitatis moverint » [15].

BENDER, L.

---

[15] Impedimentum cognationis legalis hic omittere possumus. Illud abrogare ubi viget in iure civili non videtur conveniens. Forsitan commendandum esset circa hoc impedimentum statuere quod cessat quoties cessat dispensatione obtenta ab auctoritate civili et post eius cessationem matrimonium invalidum ob hoc impedimentum automatice convalidari nisi aliud obstaculum (e. g. neglecta prorsus forma canonica) hoc impediat.

JUS ECCLESIASTICUM

ITALIA

REPUBBLICA ITALIANA

In Nome del Popolo Italiano

La Corte di Appello di Messina

Prima Sezione Civile

composta dei signori:

1°) Dott. Ciminata Vincenzo, Presidente;

2°) » Berlingieri Emilio, Consigliere;

3°) » Aragona Pasquale, »

4°) » Nicotra Giovanbattista, »

5°) » Rizzo Francesco, »

ha emesso la seguente:

SENTENZA

nella causa civile in grado di appello iscritta al n. 460 del reg. gen. cont. 1954, al n. 437 del reg. dep. bollo ed al n. 4370 del reg. dep. spese introitata all'udienza del 21-11-1955.

PROMOSSA DA

Giorgianni Antonia di Salvatore, domiciliata in Messina, villaggio Divieto, contrada Ponte Gallo, ed elettivamente domiciliata in Messina, presso lo studio dell'avv. Pietro Spadaro, via Cesare Battisti, 13, che la rappresenta e difende per procura in calce alla citazione di appello-appellante.

CONTRO

Saccà Paolo di Placido, domiciliato in Messina, villaggio Gesso, rappresentato e difeso dall'avv. Antonino Santoro, per procura del notaio Picciotto del 21-10-1953, N. 7643 appellato ed appellante per incidente.

CONCLUSIONI DELL'APPELLANTE

Piaccia alla Corte Ecc.ma:

1°) Ammettere ed accogliere il presente appello;

2°) Annullare o revocare l'appellata sentenza;

3°) Ritenere e dichiarare ammissibile l'azione proposta dalla istante Giorgiani con il libello introduttivo del giudizio del 2-4-1953;

4°) Ritenere e dichiarare che l'appellato Saccà è responsabile dei danni patrimoniali e non patrimoniali causati alla istante per il suo illecito comportamento e per i suoi fatti e colpe gravissimi;

5°) Condannarlo, pertanto, al risarcimento di essi, a favore della istante, liquidandoli nella somma non inferiore a L. 1.000.000 ed in quell'altra maggiore o minore che riterrà la Corte Ecc.ma nel suo prudente arbitrio;

6°) Emettere, occorrendo, tutte le altre statuizioni, sia di carattere istruttorio che definitivo, non esclusa eventuale ispezione corporale del convento e l'interrogatorio formale di lui anche ed in presenza ed in contraddittorio della istante;

7°) Respingere le contrarie istanze, eccezioni o difese;

8°) Vittoria nelle spese ed onorari, comprese le spese prenotate a debito.

Salvo ogni altro diritto.

CONCLUSIONI DELL'APPELLATO

P. T. M.: 1). Rigettare l'appello proposto da Giorgianni Antonia avverso la sentenza del Tribunale di Messina 15-4/23-7-1954 notificata addì 17-11-1954 con la quale è stata dichiarata inammissibile la domanda proposta da Giorgianni Antonia con atto 2-4-1953;

2°) Confermare la impugnata sentenza, riformandola soltanto parzialmente per quanto riguarda il capo delle spese ponendole per entrambi i gradi a carico dell'appellante.

F A T T O

Con atto del 2-4-1953, Giorgianni Antonia convenne in giudizio avanti al Tribunale di Messina, Saccà Paolo e premesso che, addì 21-11-1942, aveva contratto con costui matrimonio e questo era stato sciolto per effetto della dispensa papale di cui al rescritto n. 2517 dell'11-2-1952 per accertata inconsumazione del matrimonio dovuta ad impotenza del marito; che la illecita condotta di costui il quale, anteriormente alle nozze, era consapevole del suo stato e lo aveva taciuto, le aveva procurato rilevanti danni di ordine patrimoniale consistenti nelle spese inutilmente fatte in occasione del matrimonio ed in quelle sostenute per la procedura di scioglimento nonchè, e sopratutto, di ordine morale per il pregiudizio ed il discredito occorsole, essendo rimasta, ancora in giovane età, priva della gioia di una famiglia; chiese che il Tribunale, previo l'esperimento dei mezzi istruttori necessari, condannasse il convenuto al risarcimento dei superiori danni in di lei favore, liquidandoli nella somma di

un milione o in quell'altra che fosse ritenuta più equa, oltre il pagamento delle spese.

Il convenuto, costituitosi, chiese che la domanda fosse dichiarata inammissibile ed, in ogni caso, fosse rigettata nel merito, contestando il preteso suo stato di impotenza.

Con sentenza 15-4/23-7-1954 il Tribunale dichiarò la inammissibilità della domanda di risarcimento dei danni dipendenti dallo scioglimento del matrimonio rato e non consumato e compensò le spese.

Avverso tale sentenza, produsse ritualmente appello la Giorgianni con atto del 14 dicembre censurando i concetti esposti dal Tribunale e chiedendo l'accoglimento della domanda. Il Saccà resistette all'appello e propose appello incidentale in ordine alle spese, chiedendo che fossero poste a carico totale dell'attrice.

Rinviate le parti al Collegio, all'udienza di discussione i procuratori hanno concluso come sopra.

Spedita la causa a sentenza, la Corte osserva.

IN DIRITTO

Considerò il Tribunale che il provvedimento di dispensa per matrimonio rato e non consumato prescinde da ogni accertamento di colpa a carico di uno dei coniugi o di entrambi, essendo fondata sull'esistenza di una giusta causa, rimessa esclusivamente alla valutazione discrezionale del sommo Pontefice onde non era dato al giudice di indagare sulle cause che avevano determinato la dispensa perchè, se ciò avesse fatto, sia pure al limitato fine di stabilire la responsabilità per danni, avrebbe invaso la competenza della autorità ecclesiastica; d'altra parte, soggiunse il Tribunale, nel rescritto pontificio mancava alcuna individuazione di colpa a carico del marito, tale da legittimare un'azione per danni ed, in ogni caso, questa non poteva riposare sull'invocato art. 139 C. C. il quale suppone la nullità del matrimonio, ipotesi ben diversa dallo scioglimento e neanche sull'art. 2043 C. C. posto che, tra la inconsumazione del matrimonio e lo scioglimento del vincolo si era frapposto l'esame del reciproco comportamento dei coniugi conclusosi con la affermazione di una giusta causa della dispensa.

Contro tali concetti oppone l'appellante che il provvedimento di dispensa, adottato dopo ampia istruttoria da parte della S. Congr. dei Sacramenti sulla giusta causa allegata, faceva espressa menzione della impotenza del Saccà, tanto vero che a questo veniva vietato di passare a nuove nozze senza l'autorizzazione di detta Congregazione, onde il Tribunale non poteva astenersi dal trarre da tale accertamento le debite conseguenze circa la responsabilità per danni

sotto il profilo sia dell'art. 139 C. C. che dell'art. 2043 stesso codice, salvo ad integrare la prova dell'impotenza con i mezzi istruttori all'uopo dedotti.

La decisione del Tribunale appare, però, corretta e merita di essere confermata.

La responsabilità per danni, supponeva, infatti, la colpa del convenuto e questa non poteva essere fondata sul provvedimento di dispensa Pontificia.

Al riguardo, esattamente il Tribunale si riportò ai concetti canonistici circa la natura della dispensa, secondo i quali, il procedimento presso la Sacra Congregazione dei Sacramenti non ha carattere contenzioso ma amministrativo, dopo il quale il rescritto del Pontefice, che sul parere della Congregazione, accorda la dispensa, è dato in forma graziosa, nell'esercizio, cioè, di una potestà non giurisdizionale ma straordinaria, per autorità e nel nome stesso di Cristo (auctoritate et nomine ipsius Christi, vero et stricto sensu divina) e con essa egli provvede, quando a suo prudente ed insindacabile giudizio sussista una giusta causa, ad eliminare delle situazioni che rendono grave ed insostenibile la protrazione del vincolo matrimoniale.

E ne dedusse che non era lecito trarre dalla dispensa alcun giudizio di colpa a carico del marito, atteso il carattere del provvedimento, volto non alla definizione di un diritto controverso ma al conseguimento di una grazia per cause diverse che non implicano necessariamente la colpa o la responsabilità di alcuno. A torto la Giorgianni persiste nell'affermare in questa sede, facendone l'argomento centrale del gravame, che nel documento Pontificio si contenga il riconoscimento della impotenza del Saccà, come di desumerebbe dal divieto a lui fatto, in seno allo stesso rescritto, di contrarre nuove nozze senza aver prima consultato la Congregazione dei Sacramenti. Basta rilevare quanto si premette nel rescritto e cioè che, avendo la Giorgianni promosso azione di nullità contro il coniuge per l'impotenza di lui, il Tribunale Ecclesiastico, nel corso del processo, aveva constatato « non plene probares de matrimoni nullitate, sed potius nondum consummati matrimonii emerserit probatio » « sicchè » « instante muliere », aveva opinato di rimettere gli atti alla Congregazione « progratia dispensationis super matrimonio rato et non consummato in casu ». Ciò, conformemente alla prassi ecclesiastica per cui, nel caso di matrimonio rato e non consumato, ove deducasi la impotenza, debbasi adire il Tribunale Ecclesiastico per la dichiarazione di nullità e solo quando sia escluso o non risulta provato che la impotenza sia anteriore al matrimonio o non sia suscettibile di guarigione in avve-

nire, si dà corso alla domanda di dispensa che richiede soltanto « la probatio suspicio impotentiae cum periculo incontinentiae ».

Ipotesi, questa, verificatesi verosimilmente nella specie, il che spiegherebbe il divieto fatto al Saccà di contrarre nuove nozze senza il consenso della stessa Congregazione.

Ma, ammesso pure che la giusta causa della dispensa fosse consistita nella constatata impotenza coenudi del marito, non perciò questo era da ritenere in colpa, occorrendo a tal fine l'accertamento non soltanto che lo stato di inavalidità sessuale fosse anteriore al matrimonio, ma che il marito lo avesse celato alla Giorgianni.

Indagine che non andava fatta in sede di dispensa pontificia, esulando da questa ogni giudizio di colpa, essendo il provvedimento accordato, come si è già ricordato, per mere ragioni di opportunità.

Nè può essere fatta in questa sede, seppure al limitato fine della responsabilità per danni, involgendo essa la rivalutazione dei motivi, del provvedimento Pontificio, di per sè insindacabile e la affermazione di una causa di nullità (impotenza assoluta) già esclusa dal competente Tribunale Ecclesiastico.

A queste considerazioni, altre se ne possono aggiungere in ordine alle specifiche ragioni di danno lamentate dall'attrice.

Circa le spese del matrimonio, la Giorgianni nemmeno avrebbe avuto titolo per richiederne il rimborso, essendo stato il matrimonio sciolto e non annullato. La dottrina canonica distingue, infatti, il matrimonio nullo, che si considera mera apparenza, da quello rato e non consumato che è vero e proprio sacramento benchè non ancora perfetto, in quanto solo con la « mutua praestatio corporis » i coniugi « fiunt una caro ».

Questo, perciò, spiega i suoi effetti finchè non sia intervenuta la dispensa pontificia la quale opera ex nunc (rescriptum effectum habet a temporis momento quo in die audientiae summus pontifex despensationes concessit n. 103 regulae servandae del 7-5-1923) a differenza dell'annullamento che ha effetto ex tunc.

Tali principi debbono intendersi ricevuti dal nostro ordinamento giuridico atteso che questo, pur riconoscendo, in virtù degli accordi lateranensi e della legge matrimoniale del 27-5-1929 n. 847, lo scioglimento del matrimonio per dispensa pontificia, non ha dettato alcuna regola circa gli effetti civili di esso, rimettendosi, evidentemente, alla disciplina contenuta nelle norme canoniche. In tal senso, del resto, si pronunciò il S. C. a sez. un. con sentenza del 13-4-1949 n. 886 che, ripudiando quella corrente giurisprudenziale la quale equiparava, quanto agli effetti, la dispensa super rato alla dichiarazione di nullità del matrimonio, pose fine ai contrasti lungamente agitatisi in merito.

Posto, quindi, che alla data della dispensa, resa esecutiva dalla Corte d'Appello, risalivano gli effetti dello scioglimento del matrimonio, questo, anteriormente a tale data, era da ritenersi valido e produttivo dei suoi effetti giuridici e canonici sicchè la Giorgianni non poteva pretendere il rimborso di quelle spese che trovavano la loro giustificazione nella pregressa esistenza del vincolo coniugale.

Quanto alle spese per ottenere la dispensa, l'appellante difettava pure del titolo a richiederle.

Se, infatti, il preteso comportamento colposo del marito non poteva avere influito sul provvedimento pontificio, che trovava la sua ragione non in una colpa, ma nella inconsumazione del matrimonio ed in una giusta causa, giammai il costo della relativa procedura poteva ricadere su di lui.

Ed, infine, quanto ai danni non patrimoniali che, com'è noto, sono dovuti quando il fatto generatore del danno costituisca, ad un tempo, illecito civile e penale, l'attrice non era legittimata a chiederli a mente dell'art. 139 C. C. che, in caso di annullamento del matrimonio, prevede una sanzione penale contro il coniuge il quale abbia taciuto all'altro la causa di nullità e riconosce a favore di costui il diritto ad una indennità ancorchè non sia data la prova specifica del danno sofferto. E ciò per la tassativa ragione che la dispensa pro rato non può essere equiparata alla dichiarazione di nullità per il sostanziale divario dei due istituti: il primo ha luogo per una causa successiva alla celebrazione del matrimonio ed è concesso in sede amministrativa dal Pontefice quale Vicario di Cristo; la seconda si riferisce a cause preesistenti o coeve alla celebrazione del matrimonio e definisce in sede contenziosa, un diritto ed accerta uno status: il primo ha effetti ex nunc ed il secondo ex tunc.

Nè è da invocare l'applicazione analogica, perchè a prescindere che la eterogeneità dei due istituti esclude ogni rapporto di affinità o equivalenza delle situazioni da essi rispettivamente contemplate, sussiste l'insormontabile ostacolo dell'art. 14 delle preleggi che vieta la interpretazione analogica in materia penale.

Circa l'appello incidentale sulle spese, il Tribunale a ragione le dichiarò compensate, data la natura della causa e le questioni contraverse sollevate dalle parti, onde il gravame va rigettato.

Le spese di questa fase del giudizio debbono gravare sull'attrice, ma per ragioni di equità, vanno compensate per un terzo.

P. Q. M.

La Corte, uditi i procuratori delle parti, pronunciando sull'appello proposto da Giorgianni Antonia con atto del 14-12-1954 e su quello incidentale proposto da Sassà Paolo con comparsa del 28-1-1955 contro la sentenza del Tribunale di Messina 15-4/27-3-1954

conferma la sentenza e condanna la Giorgianni ai due terzi delle spese di questo grado del giudizio, liquidati in L. 52.000 in esse comprese L. 40.000 per compenso di difesa e L. 6.300 per competenze di procuratore, dichiarando compensato l'altro terzo.

Così decisa in Messina nella Camera di Consiglio del 28 novembre 1955.

f. Vi: Ciminata Vincenzo — Pasquale Aragona — Emilio Berlingieri — Giambattista Nicotra, estensore — Francesco Rizzo.

Il Cancelliere f.to Metro

Depositata in Cancelleria ai sensi dell'art. 133 C. D. C. il 16-1-1956.

Il Cancelliere f.to Metro

Registrato a Messina addì 25-1-1956 N. 3356 vol. 221 F. 29 Atti Giudiziari Esatte lire 3160.

Il Direttore f.to D. Virgillo

ANNOTAZIONI

La Corte d'Appello di Messina è stata chiamata a risolvere il quesito se in seguito alla concessione di dispensa pontificia per inconsumazione di matrimonio la parte che non ha determinato l'inconsumazione stessa possa pretendere dall'altra, a carico della quale il provvedimento di dispensa ha posto il « veto » di passare ad altre nozze « inconsulta Sacta Sede », il risarcimento dei danni derivanti dallo scioglimento del vincolo.

La questione è certamente delicata per quanto sembri che la sentenza annotata sia conforme a diritto. E' noto che il Pontefice in forza del potere vicario può concedere la dispensa « sub rato et *non consummato »; dispensa, si noti, che si atteggia alla natura giuridica di un provvedimento di grazia, onde l'oratore non ha « diritto » di ottenerla.*

E per quanto, specie in questi ultimissimi anni, il Sommo Pontefice nella sua paterna benevolenza valuti con larghezza la « iusta causa » che è base della richiesta, ciò non di meno è certo che nella concessione Egli tiene presente anche e sopratutto il comportamento morale di una parte verso l'altra, tanto che se tale comportamento si sia concretato in azioni dolose la dispensa stessa può essere negata per indegnità del richiedente o, come più spesso avviene, può essere subordinata alla corresponsione di una somma che la parte colpevole deve corrispondere all'altra, somma che la stessa autorità ecclesiastica fissa nel suo importo.

Non pare quindi esatto quanto è affermato nella sentenza e cioè

che la concessione della dispensa, in quanto fondata su una « iusta causa », esclude la possibilità per l'autorità ecclesiastica d'indagare sul comportamento reciproco dei due coniugi.

Ma ciò tuttavia non derivano le conseguenze indicate dall'appellante e in « toto » rigettate dalla Corte di Messina.

Una volta che il provvedimento di dispensa è stato concesso non è dato pretendere in sede civile alcun risarcimento di danni e ciò in quanto questi in definitiva non sono la conseguenza diretta dell'eventuale comportamento illecito pre e post matrimoniale del coniuge convenuto in giudizio, sebbene sono causati esclusivamente dal provvedimento di dispensa in se considerato.

In altri termini il nesso di causalità tra presunto fatto illecito e danno è spezzato dall'intervento dell'autorità ecclesiastica che, per motivi naturalmente ben diversi da quelli dell'illecito comportamento di una parte verso l'altra, e in definitiva attinenti al « bonum animarum », ha ritenuto concedere la grazia con il rescritto Pontificio che è per sua natura « costitutivo » con effetti ex nunc.

Nè a diversa soluzione può portare il particolare che nel provvedimento di dispensa siasi disposto il « vetitum ed alias nuptias pro impotentia viri ».

E' da rilevare in proposito che si stenta a credere che nel provvedimento di dispensa Pontificia siasi affermata come certamente esistente l'impotenza dell'uomo. L'impotenza costituisce una delle ipotesi di nullità del vincolo ed in presenza di un caso probabile e fondato di nullità di matrimonio, il Pontefice non concede mai la dispensa, che presuppone la validità del vincolo, ma provvede a trasmettere gli atti al competente Tribunale, affinchè con rito giudiziario si pronunci sulla nullità del matrimonio. E' da ritenere, di conseguenza che il vetitum sia stato apposto nella dispensa soltanto nel dubbio che l'uomo non sia sessualmente capace.

Ed allora, a parte le considerazioni sopra esposte, è chiaro oltre tutto che non si può ritenere fondata una domanda di risarcimento di danno che è incerto nel suo stesso elemento generatore. Nè, come ha esattamente rilevato la sentenza, è dato rivalutare in sede civile quelle questioni che sono alla base di un provvedimento di esclusiva competenza dell'autorità ecclesiastica. Questione certamente diversa ed ancor più importante della presente, è quella di stabilire se a risarcimento dei danni sia tenuta la parte che conoscendo le cause di invalidità del vincolo abbia, ciondimento, contratto le nozze poi dichiarate insistenti dai competenti tribunali ecclesiastici. Ci riserbiamo di ritornare sull'argomento.

G. Lenti

RECENSIONES

HISTOIRE DU DROIT ET DES INSTITUTIONS DE L'EGLISE EN OCCIDENT, *publiée sous la direction de Gabriel Le Bras. Paris, Sirey*, 1955. Tome I. *Prolégomènes*, in-8°, X-271 p.

Dans un volume intitulé trop modestement *Prolégomènes*, — car il contient tout un traité de l'art d'écrire et d'enseigner l'histoire du Droit canonique, — M. Le Bras commence la publication d'une collection qui comportera quatorze volumes, consacrés à l'histoire du Droit et des Institutions de l'Eglise en Occident.

Après les *Prolégomènes* viendront en effet quatre volumes consacrés à l'Ancien Droit. Le premier embrassera l'antiquité, des origines à l'avènement de Gélase (492). — Le second sera limité par l'établissement des monarchies barbares et la mort de Charles Martel (741). — Le troisième aura pour termes la Réforme carolingienne et l'effondrement de l'Empire et de la Papauté (891). — Le quatrième, le morcellement féodal et la Réforme grégorienne jusqu'au Décret de Gratien (1140).

L'âge classique (1140-1348) sera étudié aussi en quatre volumes, où seront examinés tour à tour, dans chacun, le milieu et les sources, l'organisation ecclésiastique, le régime de la Chrétienté, les relations surnaturelles.

Quatre volumes seront également consacrés aux temps modernes qui auront respectivement pour objet: les troubles et la pré-Réforme, du schisme d'Occident à l'ouverture du concile de Trente; — l'application de la Réforme tridentine dans les anciennes monarchies; — le déclin et la ruine du XVIII[e] siècle; — les transformations contemporaines. Un quatorzième volume contiendra les conclusions et les tables.

Ce grand et beau travail sera le fruit d'une collaboration. Il doit être mené à bien, écrit M. Le Bras, par une équipe homogène. « Des universitaires instruits dans les trois salles où j'enseigne l'histoire du droit canon se partageront la besogne et se contrôleront mutuellement ». Suivent les noms de quelques uns des collaborateurs: M. M. Dauvillier, Gaudemet, Timbal, Imbert, Lemarignier, Metz et Ourliac, puis l'annonce que les quatre premiers volumes de la collection auront paru en 1958.

On peut découvrir une légère ironie du sort, dans le destin qui fait entreprendre l'histoire des institutions de l'Eglise à des fonctionnaires d'un Etat si résolument laïque. C'est une ironie, non un scandale, car le « scandale est qu'on n'ait jamais écrit cette histoire avec ampleur jusqu'au milieu du XX[e] siècle ». L'absence de préoccupations historiques suffit à expliquer, dans une large mesure, la pauvreté de l'enseignement du droit canonique, dont les règles étaient développées hors de tout contact avec la vie, dans le présent et plus encore dans le passé, d'après les seuls artifices d'une dialectique souvent suspecte. L'oeuvre entreprise par M. Le Bras va permettre de renouveler l'enseignement et on peut dire toute l'étude du droit canonique. Il faut

souhaiter que le grand nombre d'ouvriers hâte la publication de l'oeuvre complète.

Seuls, pour l'instant, les *Prolégomènes* sont sous les yeux du public, et c'est incontestablement le travail d'un maître. Il montre que son auteur domine aussi bien le domaine de l'histoire et des sciences auxiliaires de l'histoire, que celui du droit canonique et de la sociologie. Voici par exemple sa conception de l'histoire : « Comme nous pensons que l'histoire du droit canonique inclut tout ce qui concerne la genèse, la détermination et la vie des règles et des institutions ecclésiastiques, nous ne séparerons point de la pure technique les faits annonciateurs et les détails de l'application. Oserions-nous traiter la loi comme un caprice de l'autorité, quand elle est d'ordinaire une exigence de l'histoire? Ferions-nous son exégèse comme une autopsie, oubliant que l'opinion des docteurs, les constructions du législateur sont de simples jeux de l'esprit si la pratique n'en a tenu aucun compte ». En d'autres termes l'histoire du droit ne comporte pas seulement l'étude des lois, de leur genèse et de leur sens, mais l'examen de leur application et de leurs résultats. Elle doit révéler ce que les hommes ont fait, après avoir montré ce qu'ils devaient faire.

Ecrite avec de telles préoccupations l'histoire du droit canonique devient en même temps une histoire de l'Eglise et une histoire de la civilisation. « La mission de l'Eglise étant le salut des hommes, le droit canon ne peut avoir sa fin ultime que dans l'Au-Delà. Il s'achève comme il prend racine, dans le surnaturel. Ordonner les institutions qui assurent les rapports entre Terre et Ciel, déterminer préceptes et interdits à l'usage de l'*homo viator:* telle est sa fonction propre en vue de l'éternel. Comme le bonheur temporel ne se sépare point radicalement du spirituel, le droit canon y contribue par voie de conséquence : exactement observée, la justice et la bienfaisance qu'il cherche à promouvoir assureraient à tous la paix et la sécurité en ce monde. Ces bienfaits, l'Eglise en a même le souci direct et constant, encore qu'elle en fasse la mission propre de la société civile ». p. 24.

Comment analyser avec plus de finesse et d'exactitude que dans les lignes suivantes, l'énorme littérature canonique du Moyenâge. « Curiosité fraîche et enthousiaste des premières gloses, apaisement des *Distinctions*, inquiétude des *Questions*, sérénité triomphante des *Sommes;* l'esprit s'élève par alternance d'angoisses et de joies, jusqu'au sommet de la science où l'on conduit les arts du *trivium*. La certitude même le fatigue et elle s'affadit dans les *Commentaires*, elle se morcelle dans les *Tractatus*, elle s'affaiblit dans de nouvelles *Questions* sur les plus fermes solutions, dans les *Conseils* et les *Disputes* jusqu'au jour où des sources et des méthodes imprévues font naître un nouvel humanisme ».

On relèvera pour finir l'extraordinaire densité des *Prolégomènes*. On y trouve les éléments d'une bibliographie aussi vaste que récente, et surtout la multitude des idées qui fleurissent dans l'esprit toujours en activité, de l'auteur.

On avait cru pouvoir regretter que l'historien ait paru délaisser l'histoire du droit pour la sociologie. Mais voici que ses postulats sociologiques pénètrent et animent sa conception de l'histoire. Les *Prolégomènes* font apparaître une réduction à l'unité des vastes connaissances de leur auteur, qu'il met toutes au service de l'histoire du droit canonique, demeurée le grand labeur de sa vie.

R. Naz

Walter J. Conway, *The Time and Place of Baptism*, The Catholic University of America Press, Washington, D. C., pp. X-155.

Valoris tum pastoralis tum academici est haec dissertatio, ad lauream in Jure Canonico scripta. De requisitis agit ad baptismi licitam administrationem quoad tempus et locum. Indagantur hac in re legislatio et praxis ecclesiae a temporibus apostolicis usque ad hodiernum diem. Conspectus historicus legislationis ante Codicem materiam resolvit tribus in capitibus: de tempore baptismi usque ad Concilium Tridentinum; de loco baptismi usque ad Concilium Tridentinum; et de tempore et loco baptismi a Conc. Trid. usque ad Codicem. Corpus dissertationis jus vigens exarat. In ordine tractantur elementum temporis, tempus et locus in casu necessitatis, baptismus sollemnis in ecclesia et extra ecclesiam, varia denique de caeremoniarium suppletione, de baptismi adnotatione, et de emolumentis stolae.

Bene exponit auctor mentem ecclesiae antiquae in respectu temporis baptismi conferendi prout in scriptis papalibus et in decretis conciliorum provincialium expressam. Optanda est autem plenior explicatio illius mirabilis discrepantiae inter disciplinam Conc. Tridentino anteriorem et legislationem hodiernam. Juxta decretum quidem Synodi Antissiodorensis (c. 580) (ut exemplum citemus locutionis severioris), qui contumaciter praesentaverint proles suos ut baptizarentur extra tempus paschale indignos declarati sunt absolutionis. At lex hodierna: « Infantes quamprimum baptizentur... » (can. 770); « Etiam sollemnis baptismus qualibet die administrari potest... » (can. 772).

Nihil expresse cautum est in Codice de infantibus catholicorum qui neque in apostasiam neque in heresim neque in schisma prolapsi sunt, sed qui, modo negativo, obligationes religiosas simpliciter non observant, vel qui matrimonium invalidum iniverunt et a receptione sacramentorum exclusi sunt. Nonnulli parochi in tali casu baptismum differunt donec parentes ad vitam vere catholicam revertant. Clare ostendit auctor tale modum agendi contrariam esse legi ecclesiae mentique. Melius aget ille parochus qui baptizat omnem infantem ei sincere praesentatum baptismi causa a parentibus sic indignis, secluso periculo superstitionis, nisi parochus moraliter certus sit parentes ne essentialia quidem pro prolis educatione christiana procuraturos esse. Quidquid sit

hac de re, mens ecclesiae certe est ut parochus rationes exquirat pro baptismum conferendo potius quam baptismum denegando.

Codex normam mere relativam statuit ad licitam dilationem baptismi infantis determinandam. « Quamprimum » baptizati sunt. Ordinarii est autem statutis diocesanis determinare numerum dierum intra quos infans debet baptizari. Cum medium ad normam interpretandam sit praxi inspicere, operi profuisset si auctor conspectum fecisset legislationis aliquarum saltem diocesium Statuum Foederatorum hac in re.

RICHARD A ROSEMEYER

MAX GEORGE DE WITT, *The Cessation of Delegated Power*, The Catholic University of America Press, Washington, D. C., 1954, pp. VI - 154.

In hac dissertatione ad Lauream in Jure Canonico confecta, Auctor scopum operis ita clare describit: examinare modos et investigare media quibus potestas delegata cessat. Duabus partibus constat opus quarum prima de ipso conceptu delegationis, altera de ejus cessatione agit. In parte prima duo capita cum novem articulis habentur. Historia notionum variarum quae maxime important in materia dissertationis per totam dissertationem bene apponatur.

Caput I merito recolit conceptus preliminares sicuti notiones de potestate apud Romanos, de potestate regiminis apud Canonistas antiquos et de ipso conceptu jurisdictionis, ejusque origine. Ex ipsa natura potestatis publicae circa regimen aliorum sequitur notio delegationis qua talis; ideoque in capite II definitionem divisionesque potestatis delegatae describuntur.

